11450/B

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30524647

TRACTATUS

PATHOLOGICUS.

42550

JOANNIS ASTRUC,

Doctoris Medici Pariſienſis,
Medicinæ Lectoris & Profeſſoris Regii;
in Univerſitate Monſpelienſi
olim Profeſſoris,
Regi à Conſiliis Medicis,

TRACTATUS PATHOLOGICUS.

Editio Quarta.

PARISIIS,
Apud P. G. Cavelier, viâ San-Jacobæâ,
ſub ſigno Lilii Aurei.

M. DCC. LXVII.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

LECTORI

ANNA-CAROLUS LORRY, D. M. P.

De humani ingenii infirmitate nimis ſeverè videtur ſenſiſſe, dum contra memoriæ limites extenderet immodicè, Empyricorum Secta, quæ Artem ſine arte conſtituens, Medicinam abſque rectâ medendi methodo, ſolâ eventuum enarratione, ſtare poſſe ſibi perſuaſerat. Deſides Methodicorum animos & obſervationi Naturæ impares, quis non arguat? qui in re tanti momenti, ſumma tantùm indicationum leves carpebant, nec morborum claſſes attingere, ſed delibaſſe genera credebant ad Artis

opera exequenda, ſufficere. Quantò meliùs Dogmatici qui cognitis ſemel ſanitatis effectibus, hominem quaſi in medio vitiorum conſtitutum, indèque ad hæc vel illa deflectentem, ita perpendunt, ut res agenda ad ſanitatem inſtaurandam, non ratione nudâ, non eventuum memoriâ ſolâ, ſed rationali experientiâ dirigatur. Hinc nata & firmis fundata principiis Pathologia illa generalis, quæ ab evidentibus axiomatibus, ad univerſæ Artis ambitum ſenſim progreditur, eo ordine, ut qui ſemel prima admiſerit principia, vel abſtruſiora negare non poſſit ampliùs, dum nunc gradus læſionum, nunc cauſas, nunc ſigna, ita ad ſanitatem metitur, ut nulla poſſit dari in corpore humano læſio, quæ non fuerit præviſa atque animo ſtudio-

ſè peracta. Calumniari verò ſi quis voluerit, quòd poſſibilia tantùm ſectetur, nec tota pendeat in obſervatione Naturæ, quæ vel maximè attenti Obſervatoris oculos adeò ſæpe perſtringit & eludit; meminerit is velim, incaſſum & abnormi conſilio, rudes & inconcinnos ad ſpectacula Naturæ meditanda, animos objiciundos fore qui in ipſo lucis jubare cæcutirent; ſed debitâ præparatione ita fingendos atque efformandos anteà fuiſſe, ut poſſint quæ videant, ad ſuum quodque genus, ita referre, ut aliquem fructum carpere valeant ex ipſâ meditabundâ admiratione. Hinc inſudare primùm opus erit primis axiomatibus illis à quibus unquam recedere, ne ipſi quidem naturæ conceditur; unde ſpecioſa pandan-

tur rerum miracula, quæ priùs altâ videbantur incautis merſa caligine. Præthereà quidquid in Pathologiâ à Naturæ obſervatione non pendet, ab Arte prorsùs alienum eſt. Simplex illa quidem nil ineptè molitur, nil ſibi præſumit, quod non omnium conſenſu verum ſit. Sed à ſimpliciſſimis principiis Artes maximè eruditæ oriuntur, Sapientum ſcilicet, non unius ævi, non unius Gentis, ſed diverſorum per varias ætates, meditatione, natæ, enutritæ, ſtabilitæ. Hinc ſenſim depromuntur artium divitiæ, immortali filo connexæ, & quaſi ſpontè defluunt. Ea olim methodus grandævis Artium Inventoribus ſola innotuit, hanc diſertè priſcæ Medicinæ vindicavit *Hippocrates*, qui Principiis Artis evidentiam illam adſtruxit, quam ne-

mo negare poſſit, à quibus alia promanant, quæ dum pendent ex ipſis primorum axiomatum viſceribus, ab ipſis ſuam mutuantur demonſtrationem. Geometriâ enim exemplum præbente, nullum eſt eſt axioma evidens quod non millenis atque millenis veritatibus præbeat exordium, ex ejus ſinu per profundam meditationem eruendis. Hinc ſe animorum obſtetricem profitebatur *Socrates*, quaſi ſcilicet reconditas in mentis ſinu divitias, in apertum promeret, ab evidentiâ exorſus, novoſque fœtus in Scientiarum augmentum à mentis atrio educeret. Tantum accedit honoris rebus de medio ſumptis. Nec negamus tamen ab eâ ſimplicitate deſciviſſe multos, & quanquam ab *Hippocrate* monitos, ne

ab abſtruſis atque reconditis principiis aliquid in Artem inferrent, indulſiſſe tamen imaginandi amori & hypotheſibus Artem ornaſſe; in quâ agendi ratione videntur ſimiles Pictori illi, qui cùm Helenam formâ atque elegantiâ ornare arte non poſſet, divitiis ſaltem phaleratam fecerat. Sed unius culpam in Artis dedecus refundere injuſtum foret; ut ſi quis Relligionis ſacroſanctæ principia tentaret inde convellere, quod illam multi ſuperſtitione anili dedecorant. Hac Arte viget & vigebit in æternum ſalutaris illa Medicina, multorum locupletata virorum conatibus, nunquam refellenda, & quamquam à curarum ſordibus vacaret, per ſe geometricis veritatibus fulta, per ſe exiſtens, nec amore Sectarum deturpanda, nec Arabum cavilla-

tione temeranda. Ratiocinium ſimplex circa res obſervatas baſim ipſi præbet, & ſi quas à Phyſiologiâ Mechanicis atque Chymicis ornatâ principiis ſibi ſumit indicationes, fulciri ipſas demonſtratione, quâ ad evidentiam deducantur poſtulat. Tales ipſi certè multas aptavit *Boerhaavius* nunquam ſine laude à Medicis appellandus. Verùm ſi aliquid minùs probati ex Phyſiologiâ irrepſerit intùs, nomina tantummodò, & explanationes mutabuntur, nihil Arti detractum erit, aliquid tantummodò Scientiæ ambitioſo ornatui decedet. Sic ſi Copernici ſyſtema ex Aſtronomiâ tollatur, nihilominùs tamen præclara hæc Scientia, ſuis ipſa vigebit opibus, alienæ non indiga pulchritudinis. Stabunt ſcilicet in æternum quæ vigilando at-

que circa obſervationem meditando detexere præcepta, *Keplerus* aliique inſignes & perpetuâ laude digni ſcientiæ hujus myſtæ.

Idem de Medicinâ verum eſt, idem de omnibus aliis rationalibus Artibus quæ à rerum obſervatione pendent. Fruſtrà opinionum commenta delebit dies, nunquam æterna axiomata valebit attingere Pathologiæ, quam jam à longo tempore inventam in Artis emolumentum gloriabatur *Hippocrates*. Hanc methodum à *Galeno* auctam, ab Arabibus dialectice oneratam, exornatam à *Fernelio*, *Valeſio*, *Riolano*, Phyſicis fulcitam principiis à *Boerhaavio*, ordine inſigni & perſpicuo, definitionibus certis, diviſionibus ſibi ad amuſſim correlativis profecutus eſt J. Astruc libello quem poſt acerba Viri cla-

riſſimi fata Philiatris offerimus. Hunc Monſpelii olim expoſuerat. Publici juris factum, quamvis ipſo inſcio hunc ſibi Typographia vindicaverit, probaverat tamen, & vix mutatum Bibliopolæ commendaverat recudendum. Fore ſcilicet, aiebat, doctiſſimo ſed obſcuro *Boerhaavii* de eâdem materie tractatui, commentarium. Tanti viri judicio obſecundare æquum erat, paucis tamen additis, aut mutatis. Prodiere tamen nuper *Hieronymi Gaubii* & *Fr. Cartheuſeri* de eâdem materie tractatus doctiſſimi, qui cibos utiles, ſed lactantibus validiores, præbent. Huic noſtro ea laus remanebit, quòd cæteris brevior plura comprehendat, & nullâ obſcuritate Philiatrorum animos moretur.

INDEX RERUM.

PROŒMIUM. *Pag.* 1

PARS PRIMA.

De Morbo, 3

SECTIO I. *De Naturâ Morbi*, ibid.
CAP. I. *De naturâ & ratione vitæ*, 4
CAP. II. *De naturâ & ratione ſanitatis*, 9
CAP. III. *De naturâ & ratione morbi*, 11
SECTIO II. *De Morborum differentiis*, 14
CAP. I. *De eſſentialibus morborum differentiis*, ibid.
ART. I. *De morbis partium ſolidarum*, 15
§. I. *De morbis partium ſimilarium, ſive primigeniarum*, 16
§. II. *De morbis partium organicarum, ſeu inſtrumentariarum*, 18
ART. II. *De morbis partium liquidarum*, 26
§. I. *De morbis chyli*, ibid.

§. II. *De morbis ſanguinis*, 30
§. III. *De morbis lymphæ*, 35
§. IV. *De morbis fermentorum digeſtivorum*, 38
Art. III. *De morbis compoſitis*, 40
Cap. II. *De accidentalibus morborum differentiis*, 43
Art. I. *De differentiis morborum à motu*, ibid.
Art. II. *De differentiis morborum à duratione*, 44
Art. III. *De differentiis morborum à magnitudine & more*, 46
Art. IV. *De differentiis morborum ab eventu*, 47
Art. V. *De differentiis morborum à ſubjecto*, 59
Art. VI. *De differentiis morborum à causâ*, 52
Art. VII. *De differentiis morborum à loco*, 53
Appendix *de Criſibus, & diebus criticis, ſive decretoriis*, 54

PARS ALTERA.

De Cauſis, 61

SECTIO I. *De Cauſis in genere*, 62
Cap. I. *De naturâ & definitione cauſæ*, 63
Cap. II. *De cauſarum differentiis*, 65
Cap. III. *De generali cauſarum evidentium actione*, 69
SECTIO II. *De Cauſis in particulari*, 77

Cap. I. *De cauſis eſſentiales morborum differentias inferentibus*, 78

Art. I. *De cauſis morborum corporis partes ſolidas afficientium*, ibid.

§. I. *De cauſis morborum qui partibus ſimilaribus proprii ſunt*, ibid.

§. II. *De cauſis morborum qui ad organicas partes pertinent*, 81

Art. II. *De cauſis morborum partes fluidas afficientium*, 90

§. I. *De cauſis morborum chyli*, ibid.

§. II. *De cauſis morborum ſanguinis*, 97

§. III. *De cauſis morborum lymphæ*, 106

§. IV. *De cauſis morborum fermentorum digeſtivorum*, 110

Art. III. *De cauſis morborum compoſitorum*, 112

Cap. II. *De cauſis accidentales morborum differentias inferentibus*, 114

Art. I. *De cauſis differentiarum, quæ à motu deſumuntur*, ibid.

Art. II. *De cauſis differentiarum quæ à duratione repetuntur*, 116

Art. III. *De cauſis differentiarum quæ à more & magnitudine repetuntur*, 118

Art. IV. *De cauſis differentiarum quæ ab eventu deducuntur*, 121

Art. V. *De cauſis differentiarum quæ à ſubjecto dependent*, 122

Art. VI. *De cauſis differentiarum quæ à morbi tempore deſumuntur*, 123

Art. VII. *De cauſis differentiarum quæ à loco deducuntur*, 125

PARS ULTIMA.

De Symptomatibus, 128

SECTIO I. *De læſionibus functionum*, 130

§. I. *De læſionibus functionum animalium*, 132

Cap. I. *De læſionibus ſenſationum*, 133

Art. I. *De læſionibus viſionis*, 134

Art. II. *De læſionibus auditûs*, 141

Art. III. *De læſionibus guſtûs*, 144

Art. IV. *De læſionibus olfactûs*, 146

Art. V. *De læſionibus tactûs*, 148

Art. VI. *De læſionibus ſensûs qui univerſo corpori communis eſt*, 149

Cap. II. *De læſionibus phantaſiæ ſive imaginationis*, 158

Cap. III. *De læſionibus judicii*, 161

Cap. IV. *De læſionibus memoriæ*, 165

Cap. V. *De læſionibus voluntatis*, 168

Cap. VI. *De læſionibus quæ circa vigiliam & ſomnum contingunt*, 172

§. II. *De læſionibus functionum vitalium*, 176

Cap. I. *De læſionibus reſpirationis*, 177

Cap. II. *De læſionibus motionis cordis*, 183

Cap. III. *De differentiis pulſuum*, 189
§. III. *De functionibus naturalibus læſis*, 200
Art. I. *De læſionibus functionum naturalium, quæ conſervando individuo utiles ſunt*, 200
Cap. I. *De læſionibus famis & ſitis*, 202
Cap. II. *De læſis maſticatione & deglutitione*, 207
Cap. III. *De læſis coctione & chyloſi*, 210
Cap. IV. *De læſis ſecretione chyli & ſecreti propulſione in ſubclaviam*, 213
Cap. V. *De læſis hæmatoſi & geneſi recrementorum*, 216
Cap. VI. *De læsâ nutritione*, 219
Cap. VII. *De læsâ dejectione fæcum alvinarum*, 221
Cap. VIII. *De læsâ mictione*, 224
Art. II. *De læſionibus functionum naturalium, quæ ad ſpeciem propagandam neceſſariæ ſunt*, 226
Cap. I. *De læsâ pænis erectione & ejaculatione ſeminis*, 227
Cap. II. *De læsâ menſtruatione*, 230
Cap. III. *De læsâ conceptione*, 234

Cap. IV. *De læsâ prægnatione*, 237
Cap. V. *De læsâ parturitione*, 241
Cap. VI. *De læſo lactatu*, 243
SECTIO II. *De vitiis excretorum*, 245
Cap. I. *De vitiis excretorum quæ per mammas excernuntur*, 247
Cap. II. *De vitiis excretorum, quæ per nares, aures, oculoſque excernuntur*, 250
Cap. III. *De vitiis excretorum per cutim & univerſum corporis habitum*, 253
Cap. IV. *De vitiis excretorum per alvum*, 257
Cap. V. *De vitiis excretorum per urethram*, 266
Art. I. *De vitiis urinæ*, ibid.
Art. II. *De vitis contentorum in urina*, 276
Cap. VI. *De vitiis excretorum per vaginam*, 281
SECTIO III. *De qualitatibus mutatis*, 284
Cap. I. *De qualitatibus mutatis quæ tactu percipiuntur*, 285
Cap. II. *De qualitatibus mutatis quæ viſu diſcernuntur*, 289

Cap. III. *De qualitatibus mutatis quæ olfactu deprehenduntur*, 295
Cap. IV. *De qualitatibus mutatis quæ guſtu dignoſcuntur*, 297
Cap. V. *De qualitatibus mutatis quæ auditu diſcernuntur*, 298

Explicit Index Rerum.

APPROBATION.

J'AI lû par ordre de Monſeigneur le Chancelier un Manuſcrit intitulé, *Tractatus Pathologicus*, par M. ASTRUC; & je l'ai trouvé très-digne de l'impreſſion. Ce vingt Août 1760.

BARON.

PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre : A nos amés & féaux Conſeillers, les Gens tenant nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conſeil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, Salut. Notre Amé GUILLAUME CAVELIER, Libraire à Paris, Nous a fait expoſer qu'il déſireroit faire imprimer & réimprimer & donner au Public des Ouvrages & Livres qui ont pour titre : *Œuvres de M. Aſtruc, en Latin & en François; la Chymie de Zimmerman. traduite de l'Allemand en François, par M. Baron;* s'il Nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de Privilége pour ce néceſſaires. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Expoſant, Nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes de faire imprimer & réimprimer leſdits Ouvrages & Livres autant de fois que bon lui ſemblera, & de les vendre,

faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de quinze années conſécutives, à compter du jour de la date des préſentes. Faiſons déſenſes à tous Imprimeurs, Libraires, & autres perſonnes de quelque qualité & condititon qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion ou de réimpreſſion étrangère dans aucun lieu de notre obéiſſance; comme auſſi d'imprimer & réimprimer, faire imprimer & réimprimer & vendre & débiter leſdits Ouvrages & Livres, ni d'en faire aucun Extrait ſous quelque prétexte que ce puiſſe être, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant, ou de celui qui aura droit de lui, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Expoſant ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & intérêts; à la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la date d'icelles; que l'impreſſion & réimpreſſion deſdits Ouvrages & Livres ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, en bon papier & beaux caractères, conformément à la feuille imprimée, attachée pour modele ſous le contreſcel des Préſentes; que l'Impétrant ſe conformera en tout aux Réglemens de la Librairie, & notamment à celui du 10 Avril 1725; qu'avant de les expoſer en vente, les Manuſcrits & Imprimés qui auront ſervi de Copie à l'impreſſion & réimpreſſion deſdits Ouvrages & Livres, ſera remis dans le même état où

l'Approbation y aura été donnée, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier, Chancelier de France, le ſieur De Lamoignon, & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires de chacun dans notre Bibliothèque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier Chancelier de France, le ſieur De Lamoignon, le tout à peine de nullité des Préſentes. Du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit Expoſant & ſes ayant cauſes, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la Copie des Préſentes qui ſera imprimée tout au long, au commencement ou à la fin deſdits Ouvrages & Livres, ſoit tenue pour duement ſignifiée, & qu'aux Copies collationnées par l'un de nos amés & féaux Conſeillers Secrétaires, foi ſoit ajoutée comme à l'Original. Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent, ſur ce requis de faire pour l'exécution d'icelles, tous Actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires. Car tel eſt notre plaiſir. Donné à Verſailles, le dix-ſeptieme jour du mois de Décembre, l'an de grace mil ſept cens ſoixante, & de notre règne le quarante-ſixiéme. Par le Roi en ſon Conſeil.

Signé, LEBEGUE.

Regiſtré ſur le Regiſtre XV. de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N°. 203, *fol.* 228, *conformément au Réglement de* 1723. *A Paris, le* 2 *Janvier* 1761.

Signé, SAUGRAIN, Syndic.

TRACTATUS

JOH. ASTRUC TRACTATUS PATHOLOGICUS.

De depravatâ corporis humani œconomiâ.

PHYSIOLOGIAM, ſeu primam Medicinæ partem, quæ naturalem corporis humani œconomiam explicat, excipit pars altera Medicinæ, Græcis *Pathologia* dicta, quæ depravatam ejuſdem œconomiam exponit.

Sicut autem ea omnia, quæ ad naturalem humani corporis œconomiam, res naturales: ſic quæcumque ad depravatam pertinent, res præternatura-

les à Medicis dici conſuevere ; iſta autem tria ſunt, nempe *morbus* , *cauſa morbi* , & *ſymptoma* : hinc ſolemnis *Pathologiæ diviſio* in tres partes , quarum prima *de morbo* , altera *de cauſa morbi*, tertia tandem *de ſymptomate* aget.

PARS PRIMA.

De Morbo.

DUO tantum de morbo quæri poſſunt, nimirum *quid ſit*, & *quotuplex ſit*: huic autem geminæ quæſtioni ſatisfaciemus ſectione totuplici, una *de morbi natura*, altera *de morborum differentiis*.

SECTIO PRIMA.

De natura Morbi.

UT natura morbi pateat, inquirenda priùs ſanitatis ipſius ratio, nam contrariorum contrariæ rationes ſunt: ut autem utraque rectè innoteſcat, neceſſe eſt, in quo vita præſertim conſiſtat, inveſtigare; *vita* enim eſt veluti commune ſubjectum ſanitatis & ægrotationis; decet itaque iſtâ ſectione tria ſigillatim expendere, 1°. quid vivere; 2°. quid valere; 3°. quid ægrotare, ſeu

quod idem eſt, 1°. *de natura & ratione vitæ*; 2°. *de natura & ratione ſanitatis*; 3°. *de natura & ratione morbi*, diſtinctis totidem capitibus diſſerere.

CAPUT PRIMUM.

De natura & ratione vitæ.

LIQUET ex Phyſiologia, humani corporis machinam variis functionibus exercendis, muniiſque obeundis natura deſſtinari; ſed inter diverſas haſce *functiones*, quæ animali & viventi corpori propriæ ſunt, haud leve diſcrimen intereſſe, & ad vitam varias variè pertinere; *alias* nempe ad vitam omninò neceſſarias eſſe, neque illam poſſe ſine ipſis ullo modo ſubſiſtere: *alias* verò ad vitam quidem prorogandam abſolutè requiri, poſſe tamen eam ſine ipſis longo temporis intervallo perdurare: *alias* denique parum ex ſe utiles eſſe ad vitam, quæ, & ſine ipſis, & cum ipſis ex æquo ferè vigere poteſt atque ſubſiſtere.

Primò quidem ad vitam prorſus *ne-*

ceſſariæ ſunt, ſecretio ſpirituum in cerebello, & eorumdem per nervos hinc oriundos defluxus, reciproca cordis motio, & alterna reſpiratio; quandiu functiones iſtæ exercentur modo qualicumque, tandiu vita eſt, ut ex definitione vitæ patet: & vice verſâ, ſi ſemel omninò, vel tres functiones allatæ unà ceſſaverint, vel ex tribus unica, vita illico ceſſat, nuſquam inde reditura, utì certiſſimis experimentis confirmatur.

Sic 1°. occùmbunt derepente animalia, quibus vel cerebellum eximitur, vel ſpinalis medulla ſcalpello inter ſecundam tertiamque vertebram adacto, tranſversè diſſecatur. Sic 2°. intereunt ſubitò animalia quibus motus cordis ſufflaminatur, poſitis in auriculâ vel in vaſis majoribus repagulis quibuſcumque. Sic 3°. moriuntur confeſtim animalia quibus reſpiratio præcluditur, ut in catarrho ſuffocante & ſtrangulatione.

Nequaquam verò pari celeritate triplici hac causâ animalia intereunt: ſed citiſſimè pereunt, quibus cordis motus ceſſat: ſi enim plures ſucceſſivè vibrationes prorſus defecerint, vita omninò perit numquam reditura; inde quibus

medullâ oblongatâ tranſverſim ſectâ ; ſpirituum fluxus à cerebello in cor ſupprimitur. Siquidem illa animalia per unum aut alterum primum horæ minutum plerumque convelli ſolent : demum omnium tardiſſimè quibus ſpiritus intercipitur : etenim reſpirationem per unum & alterum minutum cohibere multi poſſunt, imò verò multò longiùs, ſi vera & fide digna fuerint, quæ de urinatoribus nonnullis commemorantur.

Inde facile eſt colligere, mulieribus illis, quæ ex hyſterica ſuffocatione, velut mortuæ jacent, reſpirationis & pulſus quoad ſenſum expertes, reſpirationem tamen, & cordis motum minime deeſſe, ſed latenter tamen & obſcurè fieri, ut ex flocco goſſypii carminati ori appoſito, aut ex admoto ſpeculo dignoſcitur : nam in iſto caſu mota goſſypii fila, aut obſcuratus ſpeculi nitor latentis reſpirationis certa ſunt indicia.

Secundò, functiones *ad vitam* quidem *neceſſariæ*, ſed tamen *ſine quibus poteſt* aliquandiu *prorogari*, ſunt alimentorum aſſumptio, aſſumptorum concoctio, &

concoctorum diſtributio : eo ſcilicet pacto neceſſarium eſt continuas corporis viventis jacturas reſarciri, ne machina exhauſta tandem ſatiſcat : nihilominus tamen poſſumus iiſdem functionibus, uno aut altero die, ſine gravi noxa, & multò pluribus ſine morte carere: quin imò abſtinentiam longiùs quandoque protractam novimus, ſine incommodo, ex hiſtoricis Medicorum monumentis, quæ, ut cætera taceamus, teſtantur virginem per integrum triennium ab alimentis omnibus omninò abſtinuiſſe, citra notabile habitudinis priſtinæ diſpendium.

Tertiò, denique, functiones *quæ ad vitam parum vel nihil faciunt*, ſunt ſenſatio, imaginatio, judicium, memoria, volitio, muniaque omnia quæ ad generationem pertinent; docet ſi quidem experientia, 1°. incolumes perſtare bardos, ſtolidoſque plurimos, qui ratione, memoriâ, voluntate liberâ carent: 2°. vitâ frui non paucos, etiamſi ſenſibus externis, interniſque deſtituantur, ut in apoplecticis, & epilepticis inſultibus : 3°. demum ætatem citra noxam ducere, qui vitam caſtam agunt.

Ex his ergo concludendum, 1°. poſſe vitam optimè ſubſiſtere cum libero functionum omnium exercitio; 2°. Plurimas tamen eſſe functiones, quales recenſuimus, quæ ad vitam abſolutè non requirantur; 3°. Sed ad eam ſatis eſſe, ſi reſpiratio & cordis motus qualicumque modo exerceantur, quæ ideò ſolent haud ineptè functiones vitales nuncupari. 4°. Imò ſufficere, modò perſtiterit in corde motûs quædam reciprocatio, quæ functio ceſſat omnium ultima: unde cor ultimum moriens dicitur, ſicut in Phyſiologia primùm vivens eſſe demonſtravimus. 5°. *Vitam* proinde rectè definiri, *eam corporis diſpoſitionem, quâ, ſi cæteræ functiones deſint, ſaltem reſpiratio & cordis motus, vel ad minimum ſolus cordis motus, qualicumque modo perficiantur.*

CAPUT SECUNDUM.

De natura & ratione ſanitatis.

VIVIT quicumque valet, & non valet quicumque vivit: Sanitatis itaque conceptus latiùs patet, ac multò plura comprehendit, quàm conceptus vitæ. Et ſane ſufficit, 1°. ad vitam functiones pauciſſimas, reſpirationem v. g., & cordis motum, imò & ſolum cordis motum peragi: ad ſanitatem verò neceſſarium eſt, ut functiones omnes omninò, vel ritè exerceantur, vel poſſint ſaltem exerceri: 2°. ſatis eſt ad vitam, ut eæ ipſæ functiones, à quibus proximè dependet, qualicumque modo perficiantur: at verò ad proſperam valetudinem opus eſt, non ut illæ modò, ſed ſimul cæteræ omnes, ritè & perfectè fiant, vel ſaltem fieri poſſint.

Sanitas proinde perfectiſſimus *eſt* vitæ ſtatus, & inde jure poteſt definiri, *naturalis partium corporis conſenſus, debitaque diſpoſitio, ratione cujus functiones omnes, vel ritè & liberè perficiuntur, vel poſſunt perfici ritè & liberè.*

Hinc ſequitur, 1°. ad ſanitatem non requiri actuale functionum omnium exercitium, ſed poſſibile ſufficere, eo nempe modo ſani ſunt qui actu dormiunt, quanquam functionum pauciſſimas exerceant. 2°. Sanitati non ſatisfacere actuale vel poſſibile functionum aliquot exercitium, ſed opus eſſe ut omnes omninò vel actu exerceantur, vel poſſint exerceri: nam, ut aiunt vulgò Philoſophi, *rectum ex conditionum omnium complemento*. 3°. Ad ſanitatem non ſatis eſſe actuale, vel poſſibile functionum omnium exercitium; ſed neceſſarium eſſe ut exercitium idem liberum & perfectum ſit. 4°. Eam verò perfectionem exercitii variam eſſe in variis ſubjectis, pro ratione ætatis, ſexûs, temperamenti: ſic pueri, adulti, ſenes, fœminæ, viri ex æquo ſani ſunt, quamvis functiones plurimas æquali facilitate peragere non poſſint. 5°. Imò verò perfectionem eam in iiſdem ſubjectis variam eſſe pro variis temporibus: ſic homines iidem, licèt ſanitate continuâ fruantur, functiones eaſdem pari alacritate ſæpenumero non perficiunt.

Proinde ſanitatem in indiviſibili perfectiſſimi & abſolutiſſimi functionum

omnium exercitii puncto non conſiſtere, ſed latitudinem & extenſionem habere, ejuſque gradus dari multiplices, à ſumma ſalubritate, ad ultimum uſque valetudinis gradum, qui morboſæ diſpoſitioni proximè conterminus eſt.

CAPUT TERTIUM.

De natura & ratione morbi.

IN MORBO functiones quædam ſemper fiunt, ad minimum nempe cordis motio, & in hoc à morte diſcrepat: nuſquam tamen functiones omnes poſſunt ritè & liberè peragi, & in illo à ſanitate differt.

Morbus itaque videtur poſſe definiri, *vitioſa & præternaturalis partium humani corporis diſpoſitio, ratione cujus functiones, vel non exercentur, ſi unam exceperis cordis motionem, vel ſi exercentur, aliqua ſaltem depravato modo, & alio quàm par eſt, peragitur.*

Inde conſequens eſt, 1°. Morbum eſſe, ſi vel leviſſima unius qualiſcumque functionis læſio fiat, quia *ut rectum ex omnium conditionum complemen-*

to, *ſic vitium à quocumque defectu.* 2°. Morbum quoque eſſe, dum functiones omnes abolentur, aut depravantur, modò aliqua ſuperſit cordis motio. 3°. Eapropter morbos inter ſe variare triplici ratione (*a*) pro majori vel minori, functionum quæ læduntur, numero. (*b*) pro majori, vel minori, functionum quæ vitiantur, utilitate. (*c*) pro leviore vel graviore intenſione depravationum quibus functiones læduntur. 4°. Morbum proinde non eſſe quid indiviſibile, ſed extenſionem & latitudinem multam habere, varioſque ejuſdem gradus eſſe, à primo leviſſimoque infirmitatis gradu, qui ſanitati proximus eſt, ad ultimum uſque & graviſſimum morbi ſtatum; qualis eſt in extremo mortis agone. 5°. Phyſicè loquendo, morbum & ſanitatem ita invicem opponi, ut nihil quidquam ſit intermedium, ac abſolutè neceſſarium ſit hominem vitâ præditum vel valere, vel ægrotare, hoc eſt, munia deſtinata, vel perfectè, vel imperfectè, obire. 6°. Nihilominus tamen, juxta vulgi captum, poſſe haud incongruè, cum antiquioribus Medicis, admitti ſtatum neutrum inter communes morbi & ſanitatis fines, atque adeò inter utrumque

medium, in quo nec perfecta ſanitas ſit, nec vera infirmitas obſervetur. 7°. Imò poſſe neutrum illum ſtatum, ſi ſcrupuloſior diſtinctio placuerit, cum iiſdem Medicis dividi in neutrum per participationem utriuſque extremi, ſeu perfectè neutrum, qui ſanitatis & morbi æque particeps ſit: & neutrum per participationem alterutrius, ſanitatis ſcilicet vel morbi, prout ad morbum vel ad ſanitatem magis declinaverit. Quæ diſtinctiones etſi forſan nimis ſubtiles videantur, magni tamen uſûs ſunt ad intelligendam de temperamentis doctrinam.

SECTIO SECUNDA.

De morborum differentiis.

MORBORUM, ſicut rerum aliarum quarumcumque, differentiæ, vel *ab eſſentia* ducuntur, vel *ab accidentibus variis*: quamobrem duo futura ſunt hujuſce ſectionis capita, prius nempe *de eſſentialibus*, poſterius *de accidentalibus morborum differentiis.*

CAPUT PRIMUM.

De eſſentialibus morborum differentiis.

MORBUS, utì dictum fuit, præternaturalis eſt partium humani corporis diſpoſitio functiones lædens : ergo futurum eſt, ut totidem eſſentialia ſint morborum genera, quot ſunt genera partium è quibus corpus humanum coaleſcit : ſed docet Phyſiologia humanum corpus componi partibus & ſolidis & liquidis, probatque experientia partes haſce ſingulas ſuis propriiſque vitiis alterari, perverti, labefactari ; duo igi-

tur diverſa ſunt eſſentialia morborum genera, unum morborum *ſolida*, alterum morborum *liquida* afficientium. Quantumvis morbi qui in liquida incidunt, potiùs pro cauſis morborum quàm pro morbis habendi ſint, ſi non aliquam ſolidis inuſſerint ſuî notam.

Quotuplicia autem morborum genera eſſentialia admittuntur, totuplices eſſe debent hujuſce ſectionis articuli, in quibus de iis ſigillatim diſſerere, variaſque generis uniuſcujuſque ſpecies particulares afferre liceat; his & tertium adjungemus articulum, quo morbi ex utriſque compoſiti expendantur.

ART. I.

De morbis partium ſolidarum.

UNIVERSA humani corporis compages ex villis, ſtaminibus, ſeu fibrillis iiſdem & congeneribus coagmentatur, ut in Phyſiologia probatur.

Primaria illa totius corporis ſtamina, quæ ſimpliciſſima, primigenia, teretia, diſtractilia, elaſtica, homogenea ſunt, partes dicuntur ſimilares, propter formæ ſimilitudinem; partes verò ex iis ſtaminibus inter ſe vario ordine implexis &

intertextis efformatæ, organiſatione, ſtructurâ, conformatione certâ præditæ, diſtinctis muniis & functionibus propriis deſtinatæ, appellantur partes organicæ ſeu inſtrumentariæ, quia organorum ſeu inſtrumentorum officio ex naturâ mechaniſmi ſibi proprii funguntur. Hinc ergo duplex partium ſolidarum ordo, quæ ſingulæ propriis vitiis, ſive morbis patent: unde duæ emergunt ſpecies morborum partes ſolidas afficientium; una ſcilicet morborum *partium ſimilarium*, ſive primigeniarum: altera morborum *partium organicarum*, ſive inſtrumentariarum, quam utramque diſtinctis paragraphis ſigillatim examinabimus.

§ I.

De morbis partium ſimiliarium, ſive primigeniarum.

CONNATURALES ſunt primigeniis corporis ſtaminibus qualitates quatuor, *craſſitudo*, *tenſio*, *elaterium*, & *contextûs denſitas*, tales quidem, atque ita comparatæ, ut exercendis muniis, quibus ipſæ deſtinantur, compares & proportionatæ ſint.

Inde quotuplici conditione ſtamina ea opus habent, ut naturalem ſtatum retineant, totuplici modo poſſunt ab eodem deflectere, prout harumce qualitatum ſingulæ, vel defectu, vel exceſſu, peccaverint: hinc ergo quadruplex morborum ſimilarium ſpecies; *Prima* in *craſſitudine* aucta vel imminuta: aucta, ſi fibrillæ æquò craſſiores & pleniores: imminuta, ſi tenuiores ſint, & exiliores; *Secunda*, in *tenſione* aucta vel imminuta: aucta, ſi ſibræ rigidæ & firmæ ſint: imminuta ſi molles, laxatæ & languidæ fuerint; *Tertia*, in *elaſticitate* aucta & imminuta: aucta, ſi fibræ, ægrè diſtractiles, ad reſtitutionem multâ vi nitantur: imminuta, ſi fibræ, diſtendentibus cauſis facilè obſequioſæ, ad reſtitutionem inertes ſint. *Quarta* demum, in contextûs *denſitate* aucta, vel imminuta: aucta, ſi ſtrictè denſatæ ſint, atque compactæ: imminuta, ſi rarè & laxè contexantur.

Quæ verò de morboſis primigeniorum ſtaminum affectionibus diximus, ita debent accipi, ut de membranis, tunicis, vaſis, ligamentis, tendinibus, cæteriſque corporis partibus ex æquo

intelligantur, quæ & vitiis iiſdem laborant, quibus primariæ illæ fibræ, quarum contextu coaleſcunt, juxta vulgatum axioma, *principiata redolere naturam principiorum.*

§. II.

De morbis partium organicarum, ſeu inſtrumentariarum.

ORGANUM, ſive inſtrumentum; quod ad proprias functiones inſtructum, & accommodatum eſt, conformationem, magnitudinem, partium numerum, earumque ſitum & collocationem, naturæ legibus convenientem obtinet; quorum ſymmetria, & naturalis conſtitutio inſtrumenti ſanitas eſt; uniuſcujuſque vitium immoderatius, morbus eſt inſtrumentarius, cujus idcirco quatuor ſunt differentiæ, una *conformationis*, altera *magnitudinis*, tertia *numeri*, quarta *collocationis*, ſeu ſitûs vitium; hæc autem denuò conciduntur minutiùs. Nam *primò* organa conformatione peccant triplici modo, ratione *mutatæ figuræ*, ratione *lævitiatis, aut aſperitiei vitiatæ in ſuperficie*, demum ratione *malè ſe habentium*

pororum, *ſive meatuum & cavitatum variarum*, quibus partium organicarum compages multifariam pervia eſt.

1°. Quidem *figuræ* vitia tot conſtituuntur, quot modis cujuſque partis figura immutari poteſt, ut ſi, quæ recta eſſe debet, incurvetur: quæ curva, erigatur, aut diſtorqueatur: quo vitio notantur ſimi, quibus nares deprimuntur: alati, quibus ſcapulæ, alarum inſtar, ad latera prominent: gibboſi, quibus dorſum tubere prominet, ex diſtorta ſpina: valgi, quibus extrò, & vari, quibus intrò, crura contorquentur.

2°. *Superficies* organicarum partium, penes lævitatem, aut aſperitiem, *vitiatur* duplici modo: ſcilicet *penes lævitantem*, dum partes, quæ naturâ aſperæ ſunt, morboſè lævigantur. Qualis eſt lævitas illa à tenſione in partibus inflammatis, pendens: & *penes aſperitiem*, dum partes, quas læves eſſe naturale eſt, exaſperantur, ut dum trachæa arteria, quæ ex natura lævis eſt, in catarrhis exaſperatur, glandularum miliarium tumefactione.

3°. Demum *meatus*, ſub quo nomine, ductus, vaſa quævis ſanguinea,

chylifera, lymphatica, excretoria, poros, ſinus, cavitates omnes unà comprehendimus, *malè afficiuntur* tripliciter, *diſtorſione*, *dilatatione* & *coarctatione*; *diſtorquentur* quidem, ſi qui recti ſunt, curvi: aut qui curvi, recti fiant: aut qui ad datum angulum obliqui ſunt, ad majorem, minoremve gradum inclinentur: id accidit cryſtalino & vitreo oculorum humoribus, dum vitiata pororum rectitudine, ex diaphanis opaci fiunt, in ſuffuſione & glaucomate: idem vaginæ contingit in mulieribus, dum, utero ad alterutrum latus retracto, ita contorquetur vaginæ ductus, ut tranſverſæ interni orificii rimæ non reſpondeat.

Dilatantur verò, quando interna illorum cavitas, qualicumque modo infrà explicando ubi de cauſis agetur, extenditur & ampliatur: ſic pupilla dilatatur in myopibus, unde confuſa viſio: ſic arteriæ & venæ ampliantur in aneuryſmatibus & varicibus: ſic oſcula tubulorum urinoſorum dehiſcunt in calculoſis, unde admiſſio partium tartarearum; ſic ſpiracula, quibus vaſorum tunicæ pertuſæ ſunt, expanduntur à ſanguine

intra regurgitante in hydropicis, unde ſeroſi laticis tranſſudatio, ſeu diapedeſis.

Tandem *coarctantur* ſextuplici ratione; (*a*) *Obſtructione*, dum cavitas ductuum, ab impacta qualicumque materiâ, durâ, gypſeâ, viſcoſâ, mucilaginoſâ infarcitur: ſic urethra intruſo calculo occluditur: ſic choledochus canalis craſſâ bile obturatur. (*b*) *Compreſſione*, quando oppoſiti meatuum parietes, à corpore, extrorſum accumbente, duro, gravi, renitente, ad ſeſe mutuò coguntur accedere: ſic larynx & pharynx à tonſillis tumefactis in angina ſpuria; ſic veſica ab utero fœtu grandiore diſtento in gravidis, comprimitur. (*c*) *Anguſtatione*, dum tumor quilibet, vel tuberculum, in ipſa ductûs membrana intus enatum, cavitatem arctat vel opplet: ſic tuberculum in inteſtinis ſuccreſcens inteſtina occludit, unde Iliaca paſſio: ſic carunculæ internis urethræ ulcuſculis ſubortæ viam urinæ præpediunt, unde ſtranguria, vel iſchuria. (*d*) *Conſtrictione*; dum meatuum parietes, convulſivâ fibrarum carnearum, quibus cinguntur, contractione, vel valida fibroſi reticuli,

quo interſecantur, ſyſtole, adſtricti; cavitatem imminuunt vel tollunt: ſic podex continuâ, validâque ſphincteris contractione, in ſectione fiſtulæ ani: ſic larynx, convulſione muſculorum laryngeorum, in hyſtericis adſtringitur. (*e*) *Collapſu*, dum vaſa, ductuſve laxati & exinaniti in ſeſe concidunt, & collabaſcunt proprio pondere: ſic iis qui ex atrophia marceſcunt, cellulæ adipoſæ in ſeſe contractæ cutem denſant. (*f*) Ultimò, *coalitu*, quando collapſu diuturno latera ſibi mutuò applicata uniuntur & coaleſcunt: eo pacto vena & arteriæ umbilicales; in excluſis infantibus: naturalis & extrema ſacci naſalis pars, in iis qui fiſtulâ lachrymali laborant, præternaturali coalitu obliterantur.

Recenſitæ morboſæ meatuum affectiones, utut grandioribus ductibus communes ſint; tenuioribus tamen corporis vaſis quibuſcumque traductoriis, ſecretoriis & excretoriis, familiariſſimæ ſunt, quibus multifariam coarctatis, varias latentium ægritudinum ſpecies ſolent inferre.

Secundò, partes organicæ peccant *magnitudine* auctâ vel imminutâ: quod

utrumque, vel in toto corpore, vel in parte peculiari accidit: auctæ magnitudinis *totius corporis* exemplum præbet *Nicomachus* Smyrnæus, quem *Galenus* refert præ nimia craſſitudine non potuiſſe loco ſeſe movere: imminutæ verò magnitudinis totius corporis exemplum habemus in maraſmo & atrophia, præſertim ſi ſimul oſſa emollita contrahantur, ut in puella Toloſana non ita pridem obſervatum fuit.

Partem verò *peculiarem* augeri vitio proprio commune eſt: ſic plures ſunt qui caput prægrande, qui linguam craſſam habent & latè extenſam: aut quibus pars quædam præter naturam exceſcit, nodo, topho, tumore quocumque inflammatorio, œdematoſo, ſchirroſo, eryſipelatoſo: partem quoque peculiarem magnitudine minui haud infrequens eſt, ut in iis quibus caput parvum & exile, aut lingua ex æquo brevior eſt, aut quibus pars quædam atrophia marceſcit, ex paralyſi, rheumatiſmo, luxatione, anchyloſi, &c.

Tertiò, *numerus* partium organicarum vitioſus eſt exceſſu vel defectu: exceſſu quidem, ut ſi ſex digiti fuerint in ma-

nu, vel brachia quatuor trunco appenſa; in hoc tamen cautè notandum, numerum excedentem nuſquam morboſum eſſe, niſi actiones lædat: unde fit, ut teſticuli numero tres, licèt numero ſuperent, morboſam affectionem nequaquam conſtituant; defectu vero, ut ſi brachium unicum, digiti quatuor, aut teſticulus unus tantummodo adfuerint, ſive id à nativitate congenitum ſit, ſive ex caſu accidentarium.

Quartò demum, naturalis partium *collocatio* & *compoſitio* mutatur, vel in *ſitu*, vel in *connexione*.

1°. Quidem in *ſitu*, ut in luxationibus, vel ſubluxationibus artuum, dum oſſium capita è ſuis acetabulis excidunt, in herniis umbilicalibus, inguinalibus, femoralibus, dum omentum, vel inteſtina, foràs prorumpunt: in prolapſu uteri, dum uterus, laxatis ligamentis, extrorſum propendet.

2°. verò in *connexione*, ſi partes, quæ ſeparatæ & contiguæ eſſe debent, uniantur, aut continuæ fiant: aut ſi partes, quæ continuæ ſunt, dividuntur, & fiant tantùm contiguæ; uniuntur quidem & coaleſcunt partes, quæ contiguæ

contiguæ eſſe debent, ut palpebræ, digiti latera, vulvæ & podicis latera, quod vel congenitâ, vel accidentariâ causâ contingit; dividuntur quæ continuæ ſunt, ut in variis continui ſolutionibus; ſolent autem ſolutiones continui nomina ſortiri diverſa, pro cauſa à qua fiunt, aut ſubjecto in quo ſunt; ſic (*a*) ratione cauſæ, ſolutio quæ à ſecantibus fit, ſectio: quæ ab acribus & erodentibus, eroſio: quæ à gravibus, duris, & obtuſis, contuſio: quæ à rumpentibus & divellentibus, divulſio nuncupatur. (*b*) ratione ſubjecti, in carne, ſectio, vulnus, eroſio, ulcus dicitur: in oſſe ſectio tranſverſa, fractura, ſectio recta, ſciſſura, eroſio, caries appellatur: demum in nervo & tendine ſolutio à pungente inſtrumento inducta, punctura eſt.

ART. II.

De morbis Partium liquidarum.

LIQUIDA, quæ ad naturalem corporis compoſitionem pertinent, ſunt plurima, *chylus*, *ſanguis*, *lympha*, *fermenta digeſtiva*, cæteraque recrementa varia & multiformia : horum ſingula præter vitia humorum univerſalia, quibus peccare poſſunt, de quibus vide Boerhaavium : præter labem ab uno in aliud communicandam, ſuis & peculiaribus vitiis affici ſolent, quæ diverſas totidem faciunt morborum ſpecies, jam in ſequentibus ſigillatim examinandas.

§. I.

De Morbis chyli.

UT chylus deſtinatos uſus impleat ; tria ſunt, *quantitas*, *qualitas*, & *motus* ejuſdem, in quibus modus requiritur conveniens & conſenſus accommodatus ; poteſt ergo chylus tripliciter inde peccare, in quantitate, qualitate, & motu vitiatis & præternaturalibus.

Primò. Chylus peccat in *quantitate* aucta, vel imminuta, cùm abundat, vel deficit immoderatiùs: abundat in edonibus, & lurconibus: deficit in illis, qui jejunio, vel inediâ macerantur.

Secundò. *Qualitates* chylo propriæ poſſunt ſub gemino reſpectu conſiderari, vel in ordine ad conſtitutionem & craſim, vel in ordine ad conſiſtentiam.

In ordine ad conſtitutionem, ſive craſim, 1°. debet chylus, præviâ conveniente fermentatione, in primis viis confici, alterari, coqui; pravus ergo eſt chylus apeptus, ſive non concoctus, qui malè attritis integrantibus cibariorum moleculis conſtat: qualis chylus eſt ex aſparagis: alliis, braſſicis expreſſus. 2°. Quoniam chylus materiâ conſtat triplici, ſubſtantiâ ſeroſâ, caſeoſâ, & butyroſâ, quamquàm minùs evidentibus quàm in lacte, certâ proportione unà mixtis, temperatiſque, conſequens eſt poſſe eum trifariam inde vitiari, perversâ, & immutatâ earumdem ſubſtantiarum proportione: ſic pravus & ſeroſus chylus, in quo ſeroſa ſubſtantia: pravus & caſeoſus chylus in quo ſubſtantia caſeoſa:

pravus ultimùm & butyroſus chylus eſt; in quo ſubſtantia butyroſa prætermodum redundaverit. 3°. Chylo inſunt duo elementa aquæ immixta, invicem adverſa, ſalinum & ſulphureum, quorum apta & connaturalis proportio ad chyli notam non parum facit: eo itaque nomine chylus peccabit, prout alterutrum immoderatiùs prædominabitur; ſi ſalia copioſiora ſint, vel nimis evecta, & evoluta, chylus ſalinus erit, & pravus: ſi ſalia pauciora ſint, aut nimis intricata, adeòque ſulphur proportione exuperet, chylus ſulphureus, ſeu oleoſus & pravus erit; quòd ſi terreæ partes in chylo nimiæ ſint, inde quoque chylus pravus erit, & terreus. 4°. Ad rectam, debitamque chyli craſim, debent ſalia quæ continet, qualitate nullâ nimis actuosâ pollere, ſed contemperata eſſe; verùm poſſunt ſalia chyli, ex præternaturalibus cauſis tripliciter peccare, aciditate, acrimoniâ, & ſalſedine nimiâ: hinc ergo tripliciter quoque chylus morbosè vitiabitur: ſi ſalia nimis acida, vel ſalſo-acida ſint, chylus acidus: ſi nimis acria, aut ſalſo-acria, chylus acris; ſi ſalſa copioſiora fuerint,

chylus ſalſus futurus eſt.

In ordine ad conſiſtentiam; chylus ex natura tenuis eſt, fluxiliſque, ſed non omnis viſciditatis & conſiſtentiæ omnis expers: inductâ igitur alteratione poteſt ratione conſiſtentiæ peccare tribus modis; 1°. ſi tenuior, fluxilior & aquoſior ſit, ac nullius, vel æquo minoris, conſiſtentiæ; 2°. ſi ex parciore ſero quo diluatur, craſſior, viſcidior, glutinoſior fiat; 3°. ſi acidorum miſcelâ in diſcretos floccos, ſeroſo latici innatantes, coaguletur, qui totidem grumi ſunt: unde tunc grumoſus dicitur, quod vitium plus in theoriâ valet quàm in praxi, in quâ non animadvertitur.

Tertiò. Chylus, dum naturæ legibus ſubeſt, fluit in ſanguinem per chylifera vaſa, motu leni, ſed continuo vel per breviora intervalla recurrente; inde ergo dupliciter peccabit; 1°. ſi ſanguini influat motu continuo, & citatiore, ut in ingurgitatione nimia; 2°. ſi ſanguini traducatur motu ſegniſſimo, & per longiora intervalla interrupto, ut in inediis, & jejuniis nimiis.

§ II.

De Morbis ſanguinis.

RATIO morboſi ſanguinis, à ratione morboſi chyli, haud longè diſpar eſt: ſicut in chylo, ſic in ſanguine, ad naturalem modum tria requiruntur, *quantitas*, *qualitas*, & *motus*; ſanguis itaque, ſicut de chylo modò dictum eſt, trifariam peccare poteſt, quantitate, qualitate, & motu.

Primò quidem, ſanguis peccat *quantitate*, vel auctâ vel imminutâ: aucta ſanguinis qualitas, etiam probæ notæ, plethora dicitur: augetur autem ſanguinis copia, vel verè, dum reipſa in vaſis plus æquò abundat, eaque ad turgeſcentiam implet: vel apparenter; dum ſanguinis quantitas, quæ vaſis naturaliter ineſt, ex orgaſmo ita rareſcit, ut vaſa æque diſtendat, ac ſi præter naturam aucta fuiſſet: prior, plethora vera; poſterior, apparens dicitur; tertia verò plethoræ ſpecies, quam Antiqui ad vires appellabant, tunc adeſſe dicitur

quando corpus onere inſolito gravatur, nec potis eſt artus attollere, quod veram plethoræ ſpeciem nec conſtituit.

Secundò, *Qualitas* ſanguinis, aut in ordine ad craſim & conſtitutionem, aut in ordine ad conſiſtentiam ſpectatur.

Vitiata ſanguinis qualitas, *in ordine ad craſim*, cacochymia appellatur; quoniam autem ad naturalem debitamque ſanguinis conſtitutionem, multis conditionibus ſimul opus eſt: inde conſequens eſt ſanguinem multis conſtitutionis vitiis alterari poſſe.

Sic 1°. ut ſanguis ritè ſe habeat, naturæ ſuæ ſolius particeps, ab heterogenearum partium conſortio immunis eſſe debet: peccabit ergo eo nomine, ſi puris guttulis, quas ab interno abſceſſu légit, aut ſi globulis mercurii, vel integrantibus mineralium quorumlibet ramentis, gravis ſit, quibus potatione, reſpiratione, aut per cutis ſpiracula admiſſione inquinatur. 2°. Quandoquidem ſanguis ex natura conſtat diverſis quatuor ſubſtantiis, ſerosâ, lymphaticâ, fibrosâ & globulosâ, ſive purpureâ, certâ

proportione, certoque ordine invicem temperatis, conſequens eſt ſi harum una quævis exceſſerit, defeceritve immoderatiùs, nativam proportionem perverſam, ſanguinemque exinde vitiatum iri multifariam: ſic ſanguis ſeroſus, & lymphaticus erit, ut in pituitoſis, ſi ſeroſa ſubſtantia, vel lymphatica: craſſus, tenax, viſcidus, fibroſus, ut in melancholicis, ſi ſubſtantia fibroſa: tenuis, penetrans, mobilis, facilè excandeſcens, ut in cholericis, ſi ſubſtantia purpurea prætermodum dominetur; Primum conſtitutionis vitium, intemperies pituitoſa, alterum intemperies melancholica, tertium intemperies biliosa, haud incongruè vocari poſſunt, ſi cum Antiquis nomine convenire placeat. 3°. Duo ſunt activa ſanguinis principia, ſal & ſulphur, à quibus potiſſimæ cruoris proprietates dependent: hæc in ſtatu naturali ex proportione temperari debent, ut neutrum neutri officiat: ſi ſecus acciderit, inde variæ fient ſanguinis depravationes; ſi verbi g. ſalia vel æquò copioſiora, vel à ſulphurum compedibus nimis evoluta, & expedita fuerint, ſanguis ſalinus erit, acer, mor-

dax, roſioni comparatus : ſi contrà ſalia nimis deficiant, vel ſtrictiùs ſulphure vinciantur, atque adeo ſulphur primas teneat immodicè, ſanguis oleoſus, pinguis, iners, axungiæ ſimilis futurus eſt; his addi debet nimia terreni principii copia in ſanguine, quæ cruorem lutulentum & terreum efficit. 4°. Salia, quæ ſanguini ex natura propria eſſe agnoſcimus, naturæ quidem neutræ ſed mediæ volatilitatis ſunt, ab acido quod chylus lentè ſufficit aſſiduò contemperata; modocumque à naturali ſtatu deſciverint, hinc numeroſa morborum cohors exoritur, quibus ſanguis alteratur; ſic ſi acida, aut ſalſo-acida, quantitate abundent, aut energiâ polleant nimiâ, ſanguis pravus & acidus : ſi acria, aut ſalſo-acria, ſanguis pravus & acer : ſi ſalſa muriatica, ſanguis pravus & muriaticus, ſive ſalſus aut ammoniacalis erit.

In his enim ſalium anomaliis, innumeræ fermè differentiæ ſunt, penes molem, figuram, ſoliditatem, duritiem, motum, volatilitatem : unde millenæ reſultant variarum concretionum combinationes, quas vix animo conci-

pere, nedum explicando accuratè deſcribere licitum eſt : ſed ad Medicam praxim, cujus ſatagimus, ſatis eſt memorata ſalium vitia noſſe, quæ ſenſibus ex effectis obvia ſunt, atque adeò appropriatis remediis oppugnari commodè poſſunt ; ad illa enim cætera quæcumque, quæ ſcrupuloſiùs inquiſieris, facilè revocantur, & iiſdem auxiliorum generibus ſublevantur.

Qualitas ſanguinis *in ordine ad conſiſtentiam* triſariam vitiatur ; 1°. *diſſolutione*, dum ſanguis tenuior, dilutior, fluxilior, eſt, & omnis conſiſtentiæ fere expers : ut in cachecticis. 2°. *Exſiccatione*, quando ſanguis defectu ſeroſi vehiculi, craſſus, viſcidus, tenax, grumoſus, ſive reſinoſus fit : ut in hypochondriacis. 3°. *Coagulatione*, cùm ſanguis, affuſione acidorum, in floccos varios multiformes concreſcit : ut in rigore febrium intermittentium.

Tertiò, in ſanguine tres ſunt *motus* naturales, motus partium in ſe invicem, circulationis & fluiditatis : qui ſinguli certos fines habent, quos ultra citraque nequit conſiſtere ſanitas : unde novæ morborum differentiæ in ſanguine.

1°. Motus ſanguinis partium in ſe invicem minuitur, vel augetur præter modum; augetur in febribus quibuſcumque, ac præcipuè in ardentibus: minuitur in chloroſi, ſeu pallidis virginum coloribus. 2°. Pari modo motus circulatorius, vel intenditur, vel remittitur; intenditur in febre quacumque, potiſſimùm in cauſo: remittitur verò, vel in toto corpore, vel in parte peculiari: in toto quidem corpore, in ſyncope: in parte verò peculiari, in variis cruoris ſtagnationibus. 3°. Vitia motûs fluiditatis cum commemoratis conſiſtentiæ vitiis planè coincidunt, atque adeò ſilentio prætermittenda ſunt, ne actum agamus.

§. III.

De morbis lymphæ.

QUÆ de chylo & ſanguine diximus, lymphæ apprimè conveniunt: ſicut illi, ſic & ipſa tripliciter peccat *quantitate*, *qualitate* & *motu*.

Primò, peccat *quantitate*, auctâ, vel imminutâ: auctâ quidem, ut in plethora, unde vaſorum plenitudo intenditur;

imminutâ verò duplici modo, vel imminutâ in toto corpore, ut in evacuationibus nimiis & immodicis; vel imminutâ in parte tantùm peculiari, ut in atrophiis particularibus.

Secundò, lymphæ *qualitas* vitiatur; vel in ordine ad conſtitutionem & craſim ejuſdem naturalem: vel in ordine ad conſiſtentiam.

In ordine ad craſim, multiplex eſſe ſolet lymphæ vitium, quia multæ ſunt conditiones, quæ in lympha naturaliter deſiderantur; ſic v. g. 1°. Puritas: inde ergo lympha prava erit, ſi heterogeneis puris, ſanguiniſve partibus inquinetur; ut in abſceſſibus, & ſugillationibus internis. 2°. Apta convenienſque proportio ſeroſæ, ſeu aqueæ ſubſſtantiæ, & partis gelatinoſæ quæ ignis calore concreſcibilis eſt, è quibus duabus lympha naturaliter conſtat; hinc ergo lympha tenuior, fluxilior, aquoſior erit, ſi ſeroſa ſubſtantia: craſſior verò, tenacior, glutinoſior, ſi gelatinoſa pars dominatum immoderatiùs tenuerit. 3°. Debita ſalini, ſulphurei, & terrei elementi ratio penes quantitatem & mixtionem: unde ſi ſalina copioſiora

ſint, vel nimis evoluta, lympha acris & ſalina: ſi ſulphura abundent, & ſalia intricata ſint, lympha pinguis, iners, oleoſa: ſi terreæ partes immodicè affluant, lympha lutulenta, & in tophos, nodoſque gypſeos concreſcere apta nata eſt. 4°. Certa ſalium, quæ lymphæ inſunt, natura & proprietas: ſic in ſtatu naturali ſolent illa ſubacria eſſe, vel ſubſalſo-acria, ut ex levi virore, quem lympha tincturæ florum malvæ communicat, manifeſtum eſt; ſi inde degeneria fiant, quocumque modo, multiplex lymphæ vitium ſuborietur: ſic, v. g. ſi acida, aut ſalſo-acida fiant, lympha acida: ſi acria, aut ſalſo-acria nimis actuoſa, acris & mordax: ſi ſalſa & muriatica, ſalſa, muriatica, & ammoniacalis futura eſt.

Lymphæ qualitas *in ordine ad conſiſtentiam* trifariam alteratur: 1°. *Diſſolutione*, dum limpha immodicè tenuis & fluxilis eſt, ac cohærentiæ, ſive conſiſtentiæ nullius particeps. 2°. *Exſiccatione*, quando lympha, difflato ſeroſo vehiculo, craſſeſcit & tenax fit. 3°. *Coagulatione*, cum lympha acidorum

miſcelâ in grumos inſpiſſatur.

Tertiò, in lympha *motum* unicum naturalem agnoſcimus, nimirum circulatorium; poteſt ille dupliciter lædi, ſi augeatur & ſi remittatur: augetur in febribus, nempe quâ proportione acceleratur motus ipſemet ſanguinis, intenditur eadem proportione lymphæ motus: remittitur verò, vel in toto corpore, ut in anaſarca: vel in parte peculiari, ut in œdemate.

§. IV.

De Morbis fermentorum digeſtivorum.

FERMENTA, digeſtionem ſeu chymoſim efficiencia, duo admittimus: ſalivam & lympham ſtomachalem: hæc, ut deſtinata munia impleant, debent certâ quantitate ſuggeri, & debitâ pollere qualitate; hinc dupliciter peccare tantùm poſſunt *quantitate* & *qualitate*.

Primò, peccant *quantitate*, vel exuperante, & nimiâ, ut in boulimio; vel imminutâ & deficiente, ut in anorexia.

Secundò, *qualitate* vitiantur, aut in ordine ad conſtitutionem, aut in ordine ad conſiſtentiam.

Multiplex eſt qualitatis vitium *in conſtitutione*, quia ad naturalem eorumdem conſtitutionem multa debent concurrere, 1°. nempe puritas; quapropter fermenta digeſtiva vitioſa erunt, ſi alienis bilis, urinæ partibus inficiantur. 2°. Aptus ſalini & ſulphurei elementi conſenſus: inde ſi ſalia copiâ, vel extricatione peccaverint, fermenta efficaciora, ut in fame canina; contrà verò, ſi ſulphur copioſius fuerit, nimiſque fixum, fermenta vel inertia, ut in inappetentia; vel nauſeoſa, ut in faſtidio futura ſunt. 3°. Debita ſalium natura: illam autem acrem, vel ſubacrem demonſtrat Phyſiologia; ſi ergo ſalia horum fermentorum acida, aut acido-ſalſa, acria, aut acre-ſalſa, nimis actuoſa, vel ſalſa & muriatica evadant, varia inde ciborum conſuetorum odia, ut in cibi faſtidio; vel anomalæ abſurdorum appetentiæ fient, ut in pica, & malacia.

Fermenta *in ordine ad conſiſtentiam* malè habent duplici modo; 1°. *Fluiditate* nimiâ, dum luxuriante ſero ita di-

luuntur, ut aquoſa, vappida, effœta ſint: qualia in apepſia, vel in digeſtione acida. 2°. *Craſſitie*, cùm, ſalibus defectu ſeri in majores moleculas coeuntibus, nimis actuoſa & energica fiunt; ut in indigeſtione bilioſa, & atrabilaria.

Cæterum, quæ de vitiis fermentorum digeſtivorum hactenus dicta ſunt, cæteris quibuſcumque recrementis haud ægrè accommodari poſſunt: atque inde, methodo ſimili, morboſæ eorumdem affectiones facili operâ deduci; quamobrem huic tractationi ſuperſedendum eſſe ducimus, ne tempus in re aperta, & levioris momenti terere videremur.

ART. III.

De morbis compoſitis.

UT ſimplices morbi ii ſunt qui, unicâ tantùm ratione, naturalem humani corporis œconomiam depravant, quales ſuprà recenſiti: ſic compoſiti illi qui eandem, plurimis modis ſimul, labefactant; compoſiti enim tripliciter dicuntur; 1°. dum morbi ſolidarum partium cum aliis ſolidarum partium morbis junguntur; 2°. dum morbi fluidarum

partium cum aliis fluidarum partium coincidunt ; 3°. dum morbi partium ſolidarum cum morbis fluidarum partium complicantur.

Primò quidem, Morbi ſolidarum partium cum aliis partium ſolidarum morbis conjunguntur : ſic, v. g. tumor in parte quavis morbus eſt, 1°. in magnitudine aucta. 2°. in figura vitiata : 3°. in meatuum obſtructione : 4°. & plerumque in nimia laxitate & debilitate primariorum ſtaminum, ſeu partium ſimilarium.

Secundò verò, Morbi liquidarum partium cum aliis partium earumdem morbis coincidunt : ſic, v. g. febris quæcumque morbus eſt, 1°. in circulatione accelerata : 2°. in qualitate ſanguinis vitiata, & plerumque in quantitate aucta, ſaltem apparenter.

Tertiò denique, Morbi ſolidarum partium cum morbis fluidarum partium complicantur ; ſic, v. g. peripneumonia, quæ duo eſſentialia habet, nempe tumorem inflammatorium pulmonum, & febrem ; 1°. morbus eſt partium ſolidarum & morbus multiplex, quatenus tumor inflammatorius ; 2°. morbus

partium fluidarum, & morbus multiplex, quatenus febris, ut ex præcedentibus liquet.

Plura ſimilium complicationum exempla proferre inutile eſt, & tædioſum: cùm tales morborum concurſus frequentiſſimos eſſe ii probè ſciant, qui particularium morborum hiſtoriam, vel leviter, perluſtraverunt: imò & Inſtitutionum Pathologicarum ſcopus in eo conſiſtat, ut ex generalibus particularia poſſint deduci.

CAPUT SECUNDUM.

De accidentalibus Morborum differentiis.

VARIUM eſt, & mutiplex accidentium genus in morbis : inde variæ & multiplices differentiæ Morborum accidentales ; poſſunt tamen commodè ad aliquot ſumma capita reduci , *motum* ſcilicet , *durationem* , *magnitudinem* , *morem* , *eventum* , *ſubjectum* , *cauſam* & *locum* : unde totidem accidentalium differentiarum fontes , ſequentibus articulis , ſigillatim examinandi.

ART. I.

De differentiis morborum à motu.

MOTUS in morbis dicitur modus quo ſolent procedere ; eo nomine quatuor diſtinguuntur morborum tempora , *principium* , *augmentum* , *ſtatus* & *declinatio*.

Principium eſt , quando morbus eun-

dem tenorem ſervat, à prima invaſione ſine auctu inſigni. *Augmentum* eſt, cùm morbus ſenſibiliter increſcit. *Status*, cùm morbus eandem retinet vehementiam à ſummo incremento relictam. *Declinatio* denique eſt, cùm morbus manifeſtam ſuæ vehementiæ diminutionem patitur.

Inde morbus incipiens, creſcens, ſtans ſive conſiſtens, & declinans dicitur: prout recenſita ſtadia variè percurrit. Hæc in morbis qui ad ſalutem terminantur perpetua ſunt & conſtantia; ſecus verò in iis qui morte finiuntur, qui unò pluribuſve ſtadiis truncati ſunt.

ART. I.I.

De differentiis Morborum à duratione.

MORBORUM differentiæ, quæ à duratione deducuntur, variæ ſunt, prout à *diuturnitate* vel à *continuitate durationis* repetuntur.

Primò, ratione diuturnitatis, morbi alii tardè moventur ac lentè terminantur, & longi ſive chronici dicuntur; ut hydrops; alii celeriter moventur;

ac citò terminantur, & breves appellantur; breves autem, vel nullam habent vehementiam adjunctam, & breves ſimpliciter, vel breves & parvi dicuntur, ut febris ephemera: vel cum vehementia & periculo ſtadia ſua percurrunt, & acuti dicuntur; ut angina, pleuritis, apoplexia.

Acutus morbus quadruplex eſt, 1°. peracutus, ſeu extremè peracutus, qui tertio vel quarto die ad mortem vel ad ſalutem terminatur: 2°. peracutus, qui ad ſeptimum diem terminatur. 3°. acutus ſimpliciter qui decimo quarto aut vigeſimo die finitur: 4°. demum acutus ex decidentia, qui ad quadrageſimum diem prorogatur, ultra quem terminum, non acutus jam, ſed chronicus appellatur.

Secundò verò, *ratione continuitatis durationis*, morbi alii ſunt qui à prima invaſione uſque ad perfectam ſolutionem continuò durant, & affligunt, & continui, ut febris ardens, maligna, &c.; alii qui per intervalla ceſſant & recurrunt, & intermittentes nominantur; intermittentes autem ſunt, vel erratici, dum recurſus nullum ordinem,

ut Aſthma, Epilepſia, &c.: vel periodici, quando ſtatam periodum ſervant, ut febris quotidiana, tertiana, quartana, &c.

ART. III.

De differentiis Morborum à magnitudine & more.

MORBI, qui magnam inferunt functionum læſionem, magni: parvi è contrà qui parvam, ut coryza.

Magni autem triplices ſunt; nam vel magnam inferunt functionum læſionem, ſed mitem, & ſine gravioribus, aut funeſtioribus ſymptomatibus, & benigni dicuntur: ut ephemera extenſa, & ſynochus; vel magnam functionum læſionem cum gravioribus ſymptomatibus conjunctam habent, quæ propriis ſignis manifeſtantur, & magni ſimpliciter appellantur: ut cauſus, ſive febris ardens; vel demum magnam inducunt functionum læſionem, & ſymptomata graviora, ſed quæ ſignis conſuetis, pulſu ſcilicet & urinis nullatenus indicantur, & maligni, ſeu

mali moris nuncupantur, eſſentia itaque malignorum morborum in eo tota eſt, quòd illorum vehementia non manifeſtetur conſuetis ſignis: in iis ſiquidem pulſus, & urinæ ſe habent ferè ut in ſtatu naturali, quanquam graviſſima ſimul adſit functionum læſio.

Morbi autem maligni ſubdividuntur in venenatos, qui à veneno, vel aſſumpto, vel interiùs ex humorum corruptela genito, ortum habent: peſtilentes, qui ab aere inſpirato, vel ex alimentis orti, malignam & deleteriam qualitatem habent, & in plures graſſantur: & in contagioſos, qui ab ægrotis in ſana corpora propagantur.

ART. IV.

De differentiis morborum ab eventu.

MORBI eventu haud parum diſcrepant: alii ſiquidem nullum vitæ periculum minantur, & ſalutares: ut febris ephemera, tertiana ſimplex; alii certiſſimam perniciem inferunt, & lethales: ut phthiſis confirmata, vel febris hectica in quarto gradu; alii demum

dubium exitum pollicentur, & aliquando ad mortem, aliquando ad ſalutem terminantur, & periculoſi nuncupantur: ut pleuritis, peripneumonia, febris maligna.

Morbi autem *ad ſalutem* trifariam *terminantur*, 1°. Solutione lentâ & gradariâ, quæ Græcis *lyſis* dicitur: ut cùm febris continua iteratâ catharſi ſenſim ceſſat. 2°. Solutione ſubitaneâ, quæ Græcis *criſis* appellatur: ut dum obortâ diarrhœâ, ſudatione, vel urinæ evacuatione morbus derepentè terminatur. 3°. Tranſlatione materiæ morbificæ in partem ignobiliorem, quæ Græcis *diadoche* nominatur: ſic febris maligna ſolet plerumque glandularum, vel partium exteriorum abſceſſibus ſolvi: ſic apoplexia paralyſi terminatur, facto humorum decubitu in nervos.

Pari modo Morbi *morte finiuntur* tripliciter, 1°. Solutione lentâ & gradariâ, ſeu lyſi: ut in phthiſi, & febre hecticâ, quibus ægrotantes maraſmo ſenſim conficiuntur. 2°. Solutione ſubitaneâ, ſeu criſi: ut cum oborto graviore ſymptomate ægri ſubitò enecantur. 3°. Tranſlatione humoris morbifici in nobiliorem

partem

partem, quæ *metaſtaſis* Græcis eſt: ut cùm in febre, arthritide, variolis, fit humorum decubitus in caput vel pulmones.

ART. V.

De Morborum differentiis à ſubjecto.

RATIONE ſubjecti, *primò*, morbi alii *univerſales* ſunt, qui univerſum corpus: ut febris, lues venerea, variolæ; alii *particulares*, qui peculiarem tantùm partem afficiunt: ut angina, aſcites, &c.

Secundò, alii *interni* dicuntur, qui internas potiſſimùm, ut pleuritis, peripneumonia: alii *externi*, qui externas partes occupant, ut ſcabies, lichen, &c.

Tertiò, alii *idiopathici* appellantur, qui primariò in parte, à cauſa ibi permanente, fiunt: ſic phthiſis pulmoni idiopathica eſt, quia ab ulcere pulmonum primariò producitur; alii verò *ſympatici*, qui ab una parte, idiopathicè laborante, alteri per conſenſum communicantur.

Ut enim affectus, parti cuidam ex conſenſu communicatus, ſympathicus verè ſit, debet ceſſare, ſimùl ac morbus prior, ſive idiopathicus, à quo inductus eſt, ceſſaverit; quod ſi, ſublato morbo priore, ipſe perſeveret, jam idiopathicus factus eſt, ſed vulgò ſolet *deuteropathicus*, ſeu ſecundarius vocari, ut ab idiopathico propriè dicto diſtinguatur, qui priorem nullum morbum conſequitur, & qui protopathicus, ſeu primarius appellatur: ſic abolitio ſenſuum externorum in apoplexia ſympathica eſt, quia ceſſat curata apoplexia: ſi verò diſcuſsâ apoplexiâ perduret, ut dum paralyſis apoplexiæ ſuccedit, jam idiopathica erit; ſed dicetur deuteropathica, ut à paralyſi diſtinguatur, quæ ex ſeſe & primariò accidit, ſine prægreſsâ apoplexiâ, quæ prothopathica nominatur.

Ea autem partium *ſympathia*, quæ altera alteri laboranti compatitur, *repetenda* eſt ex quintuplici capite.

1°. *Ex vicinia*, ratione cujus labes ab affecta parte in finitimas latenter ſerpit; ſic pleura ab inflammatis pulmonibus inflammatur, unde pleuritis peripneumoniæ adjungitur.

2°. *Ex analogia & ſimilitudine humoris*, quem partes ſecernunt, vel continent: ſic ventriculus ab affectis renibus afficitur, quia lympha ſtomachalis & lotium analoga ſunt: ſic mammæ utero compatiuntur, quia utrobique lac ſeparatur.

3°. *Ex communione vaſorum*: ſic nervi cerebro, ſic arteriæ cordi ſympathicæ ſunt, & eorumdem affectionibus afficiuntur: ſic affecto hepate & compreſſâ portarum venâ, ſanguis in ventriculum regurgitat, quia venæ gaſtricæ venæ portarum communicant.

4°. *Ex conſenſu nervorum* mechanico, & à Phyſiologis explicato: ſic ex utero affecto in hyſtericis fit convulſiva laryngis conſtrictio: ſic in cholera morbo, ob irritata inteſtina & ventriculum, dolorificæ fiunt artuum convulſiones, vulgò *crampe*.

5°. Demum *ex ſitu declivi* partium, quæ vitioſos humores, ab affectis partibus defluentes, excipiunt: ſic teneſmus & hæmorrhoides dyſenteriæ ſuperveniunt, irritato nempe recti interiore limbo ab acrioribus dyſentericorum dejectionibus.

ART. VI.

De differentiis Morborum à cauſa.

PRIMO, Morborum cauſa, vel eſt corpori à primordiis generationis inſita, & inde morbi congeniti, vel connati: ut claudicatio, vel gibboſitas à nativitate; vel corpori poſt excluſionem accidentariò advenit, & hinc morbi *adventitii* dicuntur, ut pleuritis, cholera morbus, &c. Inter connatos autem, ii ſunt *hæreditarii*, qui fiunt à cauſa in prolem à parentum alterutro communicata: ſic affectio nephritica, vel aſthma morbi hæreditarii ſunt, in iis qui à parentibus calculoſis vel aſthmaticis oriuntur; ſi contrà morbus inductus fuerit à cauſa quæ à parentibus non ſit propagata, erit ſimpliciter congenitus.

Secundò, Morbi, vel fiunt à cauſa in id directa, vel inducuntur ex accidente, à cauſa aliorſum tendente; ſi prius, *legitimi*: ſi poſterius, *ſpurii* ſive nothi appellantur; ſic angina vera, quæ fit à pharyngis aut laryngis inflammatione; notha verò & ſpuria, quæ ab inflatis tonſillis, aut luxatis vertebris ex accidente excitatur.

ART. VII.

De differentiis morborum à loco.

ULTIMA differentiarum accidentalium à loco deſumitur : alii enim *morbi* regioni & loco cuidam peculiares ſunt, in quibus populariter graſſantur, & *endemii*, vernaculi, ſeu gentilitii dicuntur : ut plica in Polonia, ſtrumæ in Hiſpania, & in ſubalpinis regionibus bronchocele ; alii verò nulli regioni peculiariter affixi, & horum duæ ſpecies : ſi enim nulli regioni peculiares ſint, ſed populares in iis in quibus actu graſſantur, *epidemii* appellantur, ut peſtis : ſi verò, nec regioni ulli addicti ſint, nec populariter graſſentur ſed ſparſim, *ſporadici* ſive ſparſi dicentur, ut pleuritis, hydrops, febris continua, rheumatiſmus, &c. quanquam alii ſub nomine ſporadicorum eos intelligunt qui quotannis quaſi redeunt in variis anni tempeſtatibus, unde etiam *ſtationales* dicti.

APPENDIX.

De Criſibus & diebus criticis ſive decretoriis.

CRISIUM tractatio ad ſigna prognoſtica, adeoque ad Semeioticem jure pertinet, & ſolet in illam Medicinæ partem à Pathologicis remitti: nihilominùs tamen, quamquam hujuſce loci non fuerit, ne à conſuetudine in hiſce ſcholis, jam à LAZARI RIVERII tempore, recepta, videamur temerè recedere, pauca quædam de eadem materia ſubjungere placuit, ſed breviter & concisè.

Itaque certum eſt frequenti experientiâ & conſtanti Medicorum omnium conſenſu, in morbis, præſertim acutioribus, criſes dari, ſeu ſubitas & repentinas mutationes ad ſalutem, vel ad mortem: ſed an in certo ordine fiant; an verò ſtatis & determinatis morbi diebus expectandæ ſint, controvertitur.

HIPPOCRATES quidem, DIOCLES, PHILOTIMUS, HERACLIDES *Tarentinus*,

ARCHIGENES & GALENUS, licèt omni ferè morbi tempore criſes evenire poſſe fateantur, ſtatis tamen ac certis diebus, & frequentiores & perfectiores fieri crediderunt.

HIPPOCRATES quidem & illius commentator GALENUS, quibus omnes ferè ævo noſtri ſuperiore Medici adſtipulabantur, dies quadraginta intra quos morbi omnes acuti ſolent terminari, in quatuor claſſes diſtinguunt: nempe *primò*, in *perfectè criticos*, principes, aut radicales, in quibus criſes, & perfectiores & frequentiores fiunt, qui omnes ſeptenario circuitu definiuntur; & ſunt ſeptimus, decimus quartus, vigeſimus, vigeſimus ſeptimus, trigeſimus quartus, quadrageſimus. *Secundò* in *indices*, contemplabiles, ſeu internuncios, qui criſim ſeptenario futuram prænuntiant; ſuntque cujuſlibet ſeptimanæ medii ſeu quaternarii, ut quartus, undecimus, decimus ſeptimus, vigeſimus quartus, &c. *Tertiò*, in *intercidentes*, intercalares, irrepentes, ſive provocatorios, qui inter principes & indices intercidunt, criſeſque imperfectas moliuntur; quales ſunt tertius, quintus, nonus, decimus tertius, & decimus

nonus, &c. *Quartò* tandem in *vacuos*, ſeu medicinales, quibus credebant omnia medicamentorum genera tutò exhiberi poſſe: quales ſunt reliqui omnes, ſextus, octavus, decimus, duodecimus, decimus ſextus, decimus octavus, &c.

Contrà verò, HEROPHILUS, XENOPHON, ASCLEPIADES & CELSUS, omnem dierum diſtinctionem, ut vanam, & ex præconcepto erga Pythagoricos numeros præjudicio natam, repudiavere, ac Medicum morbi dies non numerare, ſed ipſas acceſſiones intueri, & ex his quid agendum ſit conjectare debere ſtatuerunt.

Quibus conſentiunt ferè omnes noſtri temporis Medici, qui dierum decretoriorum differentiam, non modò vanam, & in praxi infidam, audent rejicere, ſed antiquioribus etiam Medicis, quaſi ſuperſtitioſis dierum obſervatoribus, irridere.

In hac pugnantium opinionum varietate, auctorum vel aſſeclarum titulis parum moti, ſed experientiâ ſolâ perſuaſi, poſteriori ſententiæ nomen addicimus, ut pote quæ millenis experimentis conſtans ſit.

Credimus proinde criſes, in acutioribus morbis frequentiſſimas quidem eſſe, intra certas temporis periodos: quia ſicut ii liquores omnes heterogenei, ut muſtum, cereviſia, ſucci herbarum, fructuumque, quando fermenteſcunt, ſtatis diebus fermentationem complent, alii citiùs, alii tardiùs, prout magis vel minus impuri ſunt: ſic quoque ſanguis, quo magis aut minus impurus eſt, ſeu, ut rectiùs dicamus, quo major aut minor eſt naturæ febrem concitantis cum morbo lucta, eo citiùs vel tardiùs febrem debet criticè abſolvere ſtatis ac determinatis periodis.

At verò periodos haſce certò definiri poſſe negamus, nec proinde criſes ſalutares, eodem ſemper critico die, imò neque ipſis criticis, aut principibus diebus ſemper expectandas eſſe: ſed nunc celeriùs, nunc tardiùs, quovis morbi die, ſive internuntio, ſive provocatorio, ſive vacuo, non raro evenire arbitramur.

Id autem abundè probatur, 1°. authoritate ipſius *Hippocratis*, qui *libro* 1°. *Epidemiorum*, dies omnes morbi, tertium, quartum, quintum, ſextum, ſep-

timum, octavum, nonum, decimum, &c. decretoriorum nomine indiſcriminatim comprehendit. 2°. Obſervationibus variis quas *in libris Epidemiorum* refert: ſic mulierem in Taſo tertio morbi die, Periclem quarto, Metonem quinto, Virginem Laryſſeam ſexto, Pythionem decimo ſalutariter judicatos eſſe; contrà verò adoleſcentem qui ad mendacium forum decumbebat, & mulieres duas mortem obiiſſe legimus ſeptimo die, quem tamen criticorum fauſtiſſimum eſſe GALENUS aſſerit. 3°. Diſſenſu celebrium Medicorum in definiendis diebus criticis, unde certò liquet incertum eſſe ac difficile hujuſce rei judicium: ſic primum & ſecundum diem, quos HIPPOCRATES ſilentio prætermiſit, DIOCLES inter criticos refert; ſic, contra vulgarem HIPPOCRATIS & GALENI ſententiam, decimum octavum, vigeſimum primum, decimo ſeptimo & vigeſimo DIOCLES & ARCHIGENES præferunt, cum quibus eâ in re ipſe HIPPOCRATES pluribus in locis conſentire videtur.

Varias enim & inſtabiles eo modo criſes eſſe neceſſum eſt, non modò 1°. quòd plerumque ignoretur morbi princi-

pium, à quo calculus duci debeat: illud enim præcisè ſtatuere, non levioris eſt negotii, quippe initio inſenſibile; ubi verò æger decubuerit, jam non morbi, ſed decubitus principium eſt.

Non modò 2°. quod præſcripta Medicorum, errata ægrorum, aut adſtantium, & caſus externi varii naturalem criſium ordinem ſæpe numero intervertunt. Sic docet experientia criſes jam in morbis rariores eſſe à quo tempore purgatio pluries in morborum decurſu iterari cœpit: eductâ ſcilicet per eam viam parte non paucâ humoris morbifici; ſed potiſſimùm, quod humorum motus, pro ægrorum temperamento, ita varius ſit ac mutabilis, ut nullam conſtantem periodum affectet.

Quapropter non licet criticis diebus ſuperſtitiosè ita confidere, ut Medicus futuram criſim otioſus expectet; ſed eum ipſas morbi acceſſiones convenit intueri, & ex iis quid agendum ſit conjectare, ac poſt factam conjecturam ſine cunctatione exequi; morbus ſcilicet, ſi urgeat, non minorativis tantùm oppugnandus, ſed juxta præceptum ipſius GALENI vena ſtatim ſecanda eſt, ſi ple-

thora adſit, ſi pars quædam graviter icta, aut utcumque aliter incipientem habeat phlegmonem: purgandum quoque per ſuperiora & inferiora, prout videbitur, ſi magna in primis viis adſit cacochylia, aut ſumma humorum turgeſcentia obſervetur: quod non modò Medicorum omnium recentiorum calculo comprobatur, ſed ab ipſo quoque HIPPOCRATE pluribus in locis ſancitum eſt: nullibi tamen expreſſiùs quàm *Aphor.* 10. *Sect.* IV. *Purgandum*, inquit, *in valde acutis ſi turgeat materia, eodem ipſo die; differre enim in talibus malum*; & conſtanti illius praxi mirè congruit: nam in febre ardente, primis ſtatim diebus, *lib.* 3°. *de morbis*: in febribus delirio ſtipatis, ante quintum venæſectionem jubet celebrare: & *libro de diæta in acutis*; febribus bilioſis tertio aut quarto die, *lib. de affectionibus*; purgationem jubet inſtituere.

Demum ſi natura per diureſim aut diaphoreſim criſes imperfectas moliatur, quod tamen initio morbi rarò utile eſt, diuretica, aut diaphoretica exhibeantur, ut vulgato Hippocratis axiomati ſatiſfiat, eo nempe ducendum eſſe quo natura vergit.

TRACTATUS PATHOLOGICUS.

PARS ALTERA.

De cauſis.

COGNITO ſemel morbo, cauſam morbi noſſe intereſt, ut cùm morbus oppugnatur remediis, cauſa ſimul poſſit removeri: eo fine, primæ Pathologiæ parti, quæ de morbo tractat, ſuccedit Pars altera, quæ *de cauſis* inſcribitur; quæcumque autem de his dici debent, duabus ſectionibus poſſunt facilè comprehendi, quarum primâ *de cauſis in genere*, poſteriore verò *de cauſis in particulari* agemus.

SECTIO PRIOR.

De cauſis in genere.

TRIA tantùm de cauſis in genere quæri poſſunt ; 1°. quid ſint ; 2°. quotuplices ſint ; 3°. quæ ſit generalis earumdem agendi ratio. Hinc tria tantùm futura ſunt hujuſce ſectionis Capita, quorum uno *de natura & definitione cauſæ* ; altero verò *de differentiis cauſarum* ; tertio demùm *de generali earumdem actione* diſſeremus.

CAPUT PRIMUM.

De natura & definitione cauſæ.

ANTIQUIORIBUS Medicis difficillimum olim fuit, cauſam in medico ſenſu rectè definire: quia Ariſtotelicis placitis nimium addicti, eodem nomine, non modò cauſas efficientes ſed cauſas quoque formales, materiales, finales, unà comprehendebant, quas tamen poſtremas à vero cauſæ conceptu plurimum ex ſe abhorrere nunc omnibus liquet.

Imò verò haud parum eſt etiamnum difficultatis in tradenda legitima cauſæ definitione, qui etiamnum, uſu ita volente, ſolent, ſub communi cauſæ nomine, confundi, tum cauſæ efficientes, quæ morbum reverâ faciunt, tum cauſæ, ſeu, ut meliùs dicamus, conditiones ſine quibus non, quæ præſentes, morbum quidem non producunt, ſed abſentes ne produceretur impedirent.

Hinc nulla aptior cauſæ definitio eſſe poteſt, quæ res ita diverſas complec-

tatur, quam ſi *cauſa* dicatur, *illud quod vel morbum producit, vel morbo producendo quomodocumque concurrit.*

Priore definitionis *parte* cauſas efficientes intelligimus, quas ſolas cauſarum nomine inſigniendas eſſe facilè cenſeremus, ſi uſus permitteret: eas enim, ſive proximæ, ſive remotæ fuerint, morbum ſemper verè & efficienter inferre certum eſt. *Poſteriore* verò cauſas, ſive conditiones *ſine quibus non*, indicamus, quæ licèt ipſæ morbum non faciant, huic tamen faciendo quadantenus concurrunt, dum ſuâ præſentiâ complent conditionum ſyndromen, quarum abſentiâ morbi productio inhiberetur.

CAPUT SECUNDUM.

De cauſarum differentiis.

VARIÆ, ſunt ac multiplices cauſarum mobificarum differentiæ; poſſunt tamen facilè ad quatuor capita revocari.

Primo nimirum, cauſa alia eſt per ſe, alia per accidens: *cauſa morbi per ſe*, ea eſt quæ morbum propriâ & inſitâ vi, atque actione directâ producit: ſic alimenta acida, auſtera, dyſpepta, varias obſtructiones inferunt. *Cauſa* verò *per accidens*, ea eſt quæ, non directâ actione, ſed interventu alterius cujuſdam diſpoſitionis, morbum excitat: ſic nimius liquorum ardentium uſus obſtructiones parit per accidens, quoniam, intenſiore ſanguinis mutu, quem excitat, id quod tenuis eſt ſenſim difflat, ac inde ſuperſtes craſſamentum in colatoriis facilè hæret.

Secundo, cauſa alia eſt principalis, alia adjuvans, alia ſine qua non. *Cauſa principalis*, ea eſt quæ primum & præcipuum

effectui motum dat : ſic uberior tartareæ partis præſentia in ſanguine, eſt cauſa principalis calculi renum, vel calculoſarum concretionum. *Cauſa adjuvans*, ſive concauſa, ea eſt quæ ſola effectum non producit, ſed principali auxiliatur : ſic cardiacum præpoſterè datum in inflammatione, gangrænam invehit, in calculo renali non dolente, inflammationem. Denique *cauſa ſine qua non*, ea eſt quæ ipſa morbum nullo modo producit, ſed ſine qua morbus produci non poteſt : ſic vitioſa ductuum renalium amplitudo, eſt cauſa ſine qua non, concretionum calculoſarum.

Tertio, cauſa morbi alia proxima eſt, & alia remota. *Cauſa proxima*, eſt quæ morbum omiſſo medio producit : *cauſa* verò *remota*, eſt illa inter quam & morbum aliæ intercedunt ; ſic irritatio inteſtinis illata, cauſa eſt proxima diarrhœæ : fructus verò horæi immaturi, cauſa remota.

Quarto demum, cauſa alia eſt evidens ſive externa, alia interna. *Cauſæ evidentes* ſive *externæ*, ea omnia ſunt quæcumque exteriùs poſita, vel à rebus corpus noſtrum conſtituentibus diverſa,

morbos ſolent inferre.

Subdividuntur in neceſſarias, & non neceſſarias; *Neceſſariæ* eæ ſunt quæ neceſſariò nos afficiunt, & quas evitare nullo modo poſſumus; illæ autem ſunt numero ſex: 1°. aër: 2°. cibus & potus: 3°. motus & quies: 4°. excreta & retenta: 5°. ſomnus & vigilia: 6°. animi pathemata: vulgò ſex res non naturales dicuntur, quia inter res naturales, quæ corpus conſtituunt, & præternaturales, quæ illud lædunt, naturâ mediæ ſunt: cùm utiles vel noxiæ efficiantur, pro benè vel malè utentium ratione. *Non neceſſariæ* verò ſunt quæ fortuitò contingunt, nec ad ordinarium vitæ uſum pertinent: ut ictus gladii, vel lapidis, morſus ferarum.

Cauſæ internæ ſunt, quæ intra corpus latent, nec ſenſibus, ſed artificioſâ conjecturâ, cognoſcuntur.

Subdividuntur pari modo in antecedentes & conjunctas; *Cauſa* illa *antecedens* dicitur, quæ conjunctâ prior eſt, & mediatè per eam morbum efficit; *Conjuncta* verò, quæ morbum producit: ſic cacochylia in primis viis nidulans cauſa eſt antecedens: ſanguini verò commixta,

cauſa eſt conjuncta febris.

Cauſa autem conjuncta, vel eſt conjuncta ſimpliciter, vel conjuncta continens; conjuncta ſimpliciter eſt, quâ poſitâ ponitur morbus, ſed quâ ſublatâ non tollitur: Sic poſito ictu gladii, ponitur vulnus, ſed ſublato non tollitur; Conjuncta continens, ea eſt quâ poſitâ ponitur morbus, & quâ ſublatâ tollitur: ſic poſitâ materiâ obſtruente fit obſtructio, quæ aufertur eâ ſublatâ.

Cæterum, notandum eſt cauſas, quas recenſuimus, in morbis omnibus non omnes dari: imò contrà vix unum morbum eſſe, cui omnes conveniant: ſed harum alias in his, alias in illis reperiri, atque inde tam multiplices differentias quibus authores ſcatent, deſumptas eſſe.

CAPUT TERTIUM.

De generali cauſarum evidentium actione.

CORPUS humanum ritè conſtitutum à connaturali ſtatu deſciſcere, morboſumque effici non poteſt, niſi cauſæ cujuſdam interventu; corporibus enim omnibus ſolemne eſt, ut in eodem ſtatu ex ſe conſtanter permaneant, niſi ab extrinſeca cauſa inde dimoveantur.

Hinc liquet, cauſas omnes, quæ corpus morboſum quomodocumque efficiunt, externas ſive evidentes primariò eſſe, quas ideò Græci aptiſſimo nomine procatarcticas, ſive primigenias appellant, quandoquidem prima ſunt morborum omnium principia.

Eas in præcedenti Capite in neceſſarias & non neceſſarias diſtinximus, communiorem doctrinam ſecuti: & has quidem varias atque multiplices eſſe, illas verò ſextuplici numero comprehendi ſub nomine rerum nonnaturalium probavimus.

At verò nunc, clarioris doctrinæ gratiâ, ſatius, commodiuſque videtur, *cauſas* haſce omnes *procatarcticas* ad quatuor tantùm capita revocare: 1°. ad ea quæ intra corpus quomodocumque hauriuntur: 2°. ad ea quæ à corpore quâcunque viâ emittuntur, vel debent emitti: 3°. ad ea quæ corporis habitui circumfunduntur: 4°. demum ad ea quæ in animato corpore geruntur & exercentur.

Itaque quadruplex cauſarum procatarcticarum genus, aſſumpta, egeſta, circumfuſa, & in ipſo corpore exercita, quorum generalem agendi modum ſummatim hîc explicabimus, dein fuſiùs in ſequentibus expoſituri.

Primò quidem, interiùs *aſſumpta* ſunt, cibus, potus, aër, medicamina, venena, ac demum quæcumque per meatus pulmonum, cutis, pudendorum, &c. intromittuntur.

Cibus autem *morbos producere poteſt* triplici ratione, quantitate, qualitate, & aſſumendi modo. 1°. *Quantitate*, ſi copioſior, ut in helluonibus; aut parcior fuerit, ut in jejunis. 2°. *Qualitate*, ſi apepta, vel dyſpepta ſint, atque adeò vel non coquantur, vel ægrè tantùm coquan-

tur alimenta ; ſi cacochyma , & in pravos ſuccos, acres,acidos, ſalſos, mucilaginoſos, putreſcibiles degenerent; demum ſi oligotropha, aut polytropha fuerint, hoc eſt, ſucci vel parcioris, vel æquò uberioris. 3°. *Modo aſſumendi*, ſi alimenta horis inaſſuetis & intempeſtivis devorentur : ut in matutinis, & pomeridianis comeſſationibus, & mediâ nocte.

Pari modo *potus* ex triplici cauſa *morbificus eſſe poteſt*, quantitate nempe, qualitate & aſſumendi modo. 1°. *Quantitate*, ſi nimia aut parcior ſit. 2°. *Qualitate*, ſi liquor aſſumptus ſit nimis ſpirituoſus, ut liquores ardentes, vinumque meracius ; ſi mixtis aliis ſuccis coinquinetur, ut liquores qui ex omphacio, ſucco limonum, groſſulariæ, &c. cum ſaccharo parantur, & quorum frequens eſt per æſtatem uſus vel potiùs abuſus ; denique, ſi mineralibus, terreis, ſulphureiſve effluviis gravis ſit ; ut aqua paluſtris, putealis, &c. præſertim in tempeſtate ſicciore. 3°. *Modo aſſumendi*, ſi potulenta præpoſterè manè à jejunis, veſperi ad cubitum ituris, vel poſt prandium, cœnamve, dum ventriculus ciborum concoctioni vacat, hauriantur.

Aër nocere poteſt bifariam, qualitate quam habet, & vitioſis particulis quibus inficitur. 1°. *Qualitate* , ſi frigidior, calidior, ſiccior, aut humidior, ſi gravior, aut levior vel elaterio defraudatus fuerit: inſpiratus enim debet iiſdem qualitatibus animalium pulmones afficere, ut Phyſicis notum eſt. 2°. *Vitioſis particulis* quibus inficitur: ut qui ſtagnantium aquarum, aut paludum halitu inquinatur: qui à cloacis vaſtam urbem purgantibus vitium contrahit, aut ex animalium laniena, coriariorum officinis, fimique putredine: tandem ex magni fluminis, vel ſtagni vicinia, craſſus & nebuloſus eſt.

Medicamenta corpus multis modis *afficiunt* : vim ventriculi chylopoieticam, id eſt, chylificam infringendo, pungendo & irritando: humorum motum intendendo: vel eumdem obtundendo. 1°. *Infringendo vim* ventriculi *digeſtivam* : ut incraſſantia, & refrigerantia quævis. 2°. *Pungendo* , & irritando, ut emetica, cathartica, & eccoprotica. 3°. *Intendendo* humorum motum: ut incidentia, aperientia, ſudorifica, cardiaca, &c. 4°. *Obtundendo* eorumdem motum: ut

ut temperantia, inſpiſſantia, refrigerantia.

Venena corpus multifariam *impetunt*: qualitate ſcilicet acidâ & coagulante: qualitate acri, & rodente: & qualitate alcalinâ & diſſolvente. 1°. *Qualitate acidâ* & *coagulante* ut aquæ ſtygiæ: 2°. *Qualitate acri & rodente*, ut arſenicum, ſublimatum corroſivum, &c. 3°. *Qualitate alcalinâ & diſſolvente* :ut fixa alcalia aut volatilia, vel per incuriam vel caſu quocumque aſſumpta. In nervos agunt venena eorumque tonum deſtruunt, & actionem cordis ſufflaminant, ut venenum viperarum, præſertim Americanarum, & plantarum inebriantium. Vi Mechanicâ etiam agunt rodendo, pungendo & titillando ventriculum & inteſtina, ut pili animalium duriores, in minimas partes ventriculum & inteſtina rodentes.

Demum ea quæ per pulmonum, cutis, pudendorum ſpiracula intromitti poſſunt, plurima & fermè innumera ſunt. Sic 1°. *miaſmata contagioſa* aëri confuſa & in pulmones penetrantia, febres malignas & peſtilentes producunt. Sic 2°. *corpuſcala à ſcabioſo manantia* & in

cutis poros introducta ſcabiem inferunt. Sic 3°. *impuri, corruptique ſeminis particulæ*, in pudendorum meatus admiſſæ, luem veneream propagant.

Secundò, egeſta tripliciter *morbifica fiunt*; nimirum ſi egerantur, quæ egeri non debent: ſi copioſiùs & immoderatiùs egerantur, quæ ſolent egeri: ſi tandem non egerantur, vel parciùs egerantur, quæ expedit egeri. Primi casûs exemplum habemus in hemorrhagiis quibuſcumque, in quibus ſanguis pæter naturam effluit. Alterius exempla præbent ſudatio nimia, uberior ptyaliſmus, diarrhœa diuturnior, ſeroſa, vel bilioſa, immodicum lotii profluvium, immoderata ſeminis emiſſio. Tertii exempla ſunt, occluſa perſpiratio, prohibita ſudatio, retentæ fæces alvinæ, coercita intus urina, ſemen immoderatiùs retentum.

Tertiò, circumambientia, quæ *corpori poſſunt officere*, plurima ſunt, variaque. 1°. Nempe *aër*, qui calore, vel frigore, humiditate, vel ſiccitate, corporis habitum multifariam afficit. 2°. *Aqua*, ſive

ex caſu corpori inſpergatur, ut dum quiſpiam ex pluvia madet: ſive datâ operâ corpori circumaffundatur, ut in balneatione; hæc in utrolibet caſu pari modo in corpus agit, caliditate, frigiditate, humiditate, pondere, &c. 3°. *Incurrentia quæcumque* corpora, quæ impetu, figurâ, mole, corpus quomodocumque ſauciant, vulnerando, contundendo, frangendo, &c.

Quartò, facta in animato corpore: vel ad ſolum corpus pertinent, ut exercitia: vel ad animum ſolum, ut animi pathemata: vel ad corpus & animum ſimul, ut ſomnus & vigilia. 1°. Exercitiorum ratione, morbi fiunt, ſi nimia & immodica fuerint, ut in iis qui vitam difficilem & laborioſam ducunt: aut ſi pauciora & leviora, ut in illis qui vitam deſidem & ſedentariam vivunt. 2°. Animi pathemata morbos accerſunt, vel motum nimium humoribus communicando, ut iracundia: vel debitum humorum motum obtundendo, ut mœror & triſtitia: vel humores variè & tumultuariè, per vices alternas, exagitando, ut ſpes & timor, in quibus ſucceſſivæ

ſunt motuum alternationes. 3°. Somnus & vigilia nocent, ſi longiùs protrahantur : ſomnus, v. g. ſi diuturnior ſit, & in ſomnolentiam abeat : vigilia verò, ſi contumacior, & in agrypniam degeneret.

SECTIO ALTERA.

De cauſis in particulari.

QUOTUPLICES morborum differentias in prima Pathologiæ parte attulimus, totuplicia cauſarum genera in particulari diſtinguenda ſunt, à quibus ſingulis ſingulæ morborum differentiæ producantur, quocirca quem in diſtinguendis morborum differentiis, ſuprà tenuimus, ordinem eundem in recenſendis cauſarum generibus preſſo pede ſequemur. Sit itaque :

CAPUT PRIMUM.

De cauſis eſſentiales morborum differentias inferentibus.

ART. I.

De cauſis morborum corporis partes ſolidas afficientium.

§ I.

De cauſis morborum qui partibus ſimilaribus proprii ſunt.

SIMILARIA ſeu primigenia corporis ſtamina craſſitiem, denſitatem, tenſionem, elaſticitatem certam debent obtinere : inde ergo morboſa fiunt, ſi qualitates eædem, vel naturalem ſtatum excedant, vel non attingant : ſed ut vitia quæ exinde emergunt contrariâ ratione nocent, ſic quoque contrariis cauſis inferuntur.

Primò quidem, *ſimilares fibræ* plus

æquò *craſſeſcunt*, *denſantur*, *tenduntur*, & *elaſticæ fiunt*, causâ variâ atque multiplici.

1°. *Conſtitutione nativâ*; ſicut enim alii aliis ſtaturâ grandiores ſunt, ſic in his craſſiores, firmiores, denſiores fibræ ſunt quàm in illis, à primordiis generationis: quod tum ab energia ſpiritûs fœcundantis, tum à quantitate & ductilitate materiæ fœcundatæ dependet.

2°. *Nutricatione optimâ*, quam excluſo fœtui, nutrix ſana, vegeta, robuſta, ſuggerit: unde creſcentibus fibris nutrimentum conveniens affatim ſuppetit.

3°. *Uſu alimentorum euchymorum & polytrophorum*, quæ fibrillis nutriendis ſuccum aptum & copioſum ſubminiſtrant, unde feliciùs adoleſcunt.

4°. *Aëre puro*, *ſicco*, *ſereno*, ut in montoſis regionibus, cujus attactu corporis ſtamina exareſcunt, firmantur, ſolidantur.

5°. *Frigore externo*, ut in regionibus borealibus: quo denſatæ, ſtrictiùſque compactæ fibræ firmiores evadunt; idem producit patientia inclementiæ cœli in temperatiori climate.

6°. *Exercitatione nimiâ*, quâ fibrillæ ad intimiorem contactum adductæ, expreſſoque ſero; quod intermedium inerat, & quo lenteſcebant, duriores, ſiccioreſque evadunt.

7°. *Uberiore ſpirituum influxu*, qualis eſt in iis, qui curis, ſtudio, ſollicitudine vacui, vitam verè animalem ducunt: notum enim eſt ab influentibus ſpiritibus fibras quaſcumque tendi & rigeſcere.

8°. *Vigiliis diutinis*, quarum ratione, & ſpiritus uberiùs influere, & membra frequentiùs exerceri, atque adeò rigiditatem fibris duplici nomine conciliari evidens eſt.

9°. *Sicciori temperie ſanguinis*, cæterorumque humorum: unde fibræ arefactæ impenſiùs rigeſcunt; idem & à febre lenta ſeu hectica pendere poteſt.

Contrà verò, fibris iiſdem primigeniis, *tenuitatem*, *raritatem*, *mollitiem*, *laxitatem* præternaturalem *inferunt* cauſæ plurimæ, antè recenſitis è directo contrariæ: nativa ſcilicet conſtitutio laxior: mala, ſæpiùs mutata, vel interrupta nutricatio: uſus alimentorum ſucci pravi & humidi: aër nebuloſus & humi-

dus : regio calida , & humida : nimia cautio ab omnibus injuriis aëris : deſidia : ſomnolentia , humidior craſis humorum , &c.

Supervacaneum eſt cauſarum harum actionem fuſè explicare,cùm ex ſupradictis abundè liqueat. Siquidem , vel leviter attendenti facilè perſpicuum eſt , his , vel debitum nutrimentum fibris creſcentibus ſubtrahi , unde extenuantur : vel humorem iiſdem tacitè infundi , unde molliuntur : vel demum ſolitum in eaſdem ſpirituum fluxum coerceri , unde relaxantur.

§ II.

De cauſis morborum qui ad organicas partes pertinent.

PARTES organicæ , ſeu inſtrumentariæ , peccant quadrupliciter : *conformatione* , *magnitudine* , *numero* , & collocatione ſive *ſitu*.

Primò quidem , tria ſunt ad ſummum vitia conformationis : nimirum in *figura mutata* , in *læſa aſperitie* vel *levitate* , & in *meatu* ſive *cavitate* malè ſe habente.

Figura quidem *vitiatur*, multis variiſque modis; 1°. *in* ipſa *generatione*: ſic infantium non pauci in lucem veniunt variè diſtorti, vari, valgi, gibbi, &c. 2°. *in partu*, Obſtetricum imperitiâ; quæ partes exiturientis fœtûs, quas temerè tractant, variè contorquent; 3°. *Nutricum imprudentiâ*, quæ teneros infantium artus, faſciis deligandos, malè componunt; 4°. *ictu fortuito*, caſuve ab altiore loco, quo oſſa luxantur, vel confringuntur; 5°. *Chirurgi inciſcitiâ*, qui oſſa, fracta, luxatave, vitiosè reſtituit, vel laborantis impatientiâ, qui oſſa repoſita loco denuò movet; 6°. *inæquali nutritione*, cujus ratione partes, inæqualiter creſcendo, multifariam deformantur: ut in rachiticis; 7°. demum *humorum decubitu* intra quaſdam partes, quorum collectione tumefactæ partes variè læduntur penes figuram: ut in omnigenis tumorum ſpeciebus.

Lævitas verò *læditur*, cùm partes naturâ læves exaſperantur: id autem accidit, 1°. *ex tumefactione glandularum granoſarum*, quæ ſub partium ſuperficie latent: ſiquidem tumefactæ prominent partemque exaſperant; ut in raucedine

catarrhali, & in verrucoſa cutis aſperitate; 2°. *ex ſubitanea, nimiaque exſiccatione*, quâ carneæ, tendineæque fibræ, impenſiùs conſtrictæ, interſertis glandulis prominenti locum faciunt, ut in raucedine, quæ à vociferatione, vel incaleſcentiâ immodicâ producitur, aut ex levi Phlogoſi quâ illæ intumeſcunt; 3°. *ex conſtrictione ſubitanea tendinearum fibrarum*, quæ intimiùs compactæ, immerſas glandulas prominere faciunt, ut cuti contigit, dum frigore externo exaſperatur.

Ratione contrariâ, *læditur aſperitas*, quotieſcumque partes, naturâ aſperæ, lævigantur: id autem fit hærentis humoris copiâ, quâ diſtentæ partes læves fiunt, ut in tumoribus cujuſque partis obſervare eſt.

Tandem *meatus*, pori, cavitates malè ſe habent, dum diſtorti, dilatati, coarctati ſunt præter naturam.

Diſtorquetur quidem, 1°. *à tumefactis glandulis adſitis*: ſic in viſceribus quibuſcumque conſtat glandularum tumefactione vaſa ſanguifera circumrepentia diſtorqueri; 2°. *ab extraneo corpore, duro, renitente, interpoſito*, à glande, v. g.

plumbeâ carnibns immersâ ; 3°. *à tuberculis ſcirrhoſis, ſcrophuloſis, ſteatomatoſis* ductus appoſitos variè diſtrahentibus : ut in ſcirrhis, ſcrophulis, cancris quibuſvis ; 4°. *à materia viſcida, in ductuum interſtitiis hærente, & inſpiſſata* : ut in ſuffuſione, & glaucomate cryſtallino & vitreo humori contingit ; 5°. *ex mutato ſitu naturali* ; ſic utero in alterutram hypogaſtrii partem prolapſo, pervertitur naturalis vaginæ magnitudo.

Dilatantur verò *ductus, porive*, 1°. *continuatâ humoris ſecretione* : ſic in ſene patentiora ſunt oſcula ductuum ſecretoriorum, quàm in puero, cæteris paribus ; 2°. *Corporum duriuſculorum tranſmiſſione, quæ vim lateribus inferunt* : ſic tubuli uriniferi granis tartareis urinæ commixtis : ſic ureter tranſmiſſo calculo : ſic biliferi ductus craſſefactâ & induratâ bile, ampliantur ; 3°. *contractione convulſivâ fibrarum radioſarum circumferentiam ductûs retrahentium* : ſic in mydriaſi pupilla dilatatur, contractis fibris radioſis iridem efformantibus.

Coarctantur demum ſextuplici modo, obſtructione, compreſſione, anguſtatione, conſtrictione, collapſu & coalitu.

1°. *Obſtructio* fit, vel ab humore quovis glutinoſo, viſcido, pingui, purulento, tenuioribus ductibus impacto, inhærente: ut in viſcerum quorumcumque obſtructionibus; vel à duriore corpore intruſo: ut in majorum ductuum obſtructionibus, urethræ, v. g. à calculo urinario: meatus choledochi à calculo biliario. 2°. *Compreſſio* ductibus quibuſcumque infertur, vel à corpore extraneo, premente, glande, v. g. plumbeâ, ictu ſclopeti carnibus intrusâ; vel à tumore juxtà oborto, ſcirrhoſo, ſteatomatoſo, ſtrumoſo, &c. vel ab oſſe quocumque luxato & è loco moto; vel à vaſis ſanguiferis circumrepentibus nimium repletis, & diſtentis; vel demum à parte quavis tumente, & mole auctâ: ab utero, v. g. fœtu gravi in prægnante. 3°. *Anguſtatio* ab unica cauſa pendet, nimirum à tuberculo quaſicumque internæ ductuum faciei adnato, glandulæ cujuſdam tumefactione: ſic inteſtina in ileo: ſic urethram in ſtranguria quandoque anguſtari obſervationibus compertum fuit. 4°. *Conſtrictio* inducitur à contractione convulſiva fibrarum annularium ductum cingentium, vel muſculorum quorumcumq;

que ductus eoſdem coarctantium : ſic podex ſphincteris convulſione poſt ſectionem ani in fiſtula : ſic larynx convulſione muſculorum laryngeorum in hyſtericis conſtringitur. 5°. *Collapſus* cauſas agnoſcit binas, nimirum vel laxitatem parietum ductus efformantium, vel ductuum eorumdem vacuitatem : priori modo, in extenuatis & cachecticis, ob ſpirituum defectum : poſteriore verò, in hæmorrhagiam paſſis, vaſa ſolent conſidere. 6°. Demum *coalitus* diutinum collapſum ſequitur, lympha, quæ à parietibus exſudat, applicitos parietes ſenſim conglutinante ; eo pacto vena & ateriæ umbilicales obliterantur in excluſis infantibus.

Secundò, *magnitudo morboſa* bifariam eſt : ſi prætermodum aucta aut imminuta ſit.

Augetur autem vel in univerſo corpore, vel in parte peculiari. *In univerſo quidem corpore*; 1°. à nutrimento copioſo, uberi accommodato : ut in athleticis conſtitutionibus; 2°. à pinguedine nimia intra partes congeſta : ut in Nicomacho Smyrnæo ; 3°. à ſeroſo humore partium contextum laxante, & inundante : ut in anaſarca, ſeu leucophlegmatia.

Augetur verò *in parte peculiari* à præternatura li tantùm partis tumore, œdematoſo, ſcirrhoſo, eryſipelatoſo, aut inflammatorio: ut frequenter accidit.

Similiter *magnitudo imminuitur*, vel in toto corpore, vel in parte peculiari.

In toto corpore, vel defectu, vitiove ſucci nutritii; ut in phthiſi, maraſmo, conſumptione, &c. vel defectu ſpirituum animalium, qui partibus inſtillati, nutritioni, ut par eſt, favent: ut in paraplegia.

In parte peculiari ex iiſdem cauſis; 1°. ſcilicet, defectu lymphæ nutritiæ, ob compreſſas, conſtrictaſve arterias, quibus advehitur; 2°. defectu ſpirituum influentium: ut in paralyſi particulari; 3°. dolore partis, quo advocatus ſpirituum fluxus nimius, partis contextum ita adſtringit, ut ſuccus nutritius inſinuari vix poſſit: unde extenuatio: ut in artubus fractis, luxatis, anchyloſi affectis, rheumatiſmo laborantibus, &c.

Tertiò, partes numero peccant, vel excedente, vel deficiente; *excedente* quidem, vitio tantùm conformationis; ut cùm ſextus adeſt digitus, vel alterum caput, ut in monſtroſis partubus; *deficiente* bi-

fariam; 1°. conformationis vitio: ut cùm ren unicus, aut quatuor tantùm digiti ſunt; 2°. ablatione partis poſt partum, quod accidit, vel ſectione, vel uſtione, vel putrefactione, vel frigore.

Quartò denique, *compoſitio partium peccat*, vel in ſitu, vel in connexione.

In ſitu quidem, quando partes ſitum à nativo alienum occupant, quod fit, 1°. vitio ipſarummet partium, quæ pondere auctæ ſponte prolabuntur: ſic omentum pinguius viam ſibi facit per abdominis annulos in hernia: ſic uterus prægnans in vaginam devolvitur; 2°. Vitio partium continentium; ſive grandioribus foraminibus perviæ ſint, ut cùm per laxatos abdominis annulos provoluta inteſtina hernias faciunt; ſive accidentariis cauſis diſciſſæ & ſauciatæ fuerint, ut cùm per vulneratas abdominis membranas, muſculoſque, inteſtina foràs prorumpunt; ſive demum ita aggeſtâ materiâ oppleantur, ut concluſæ olim partes expellantur, ſic oppletis oſſium acetabulis, facilis inde unitorum oſſium luxatio; 3°. Vitio ligaminum,

quibus connectuntur ; ut cùm uterus extrorſum prolabitur , laxatis ſuis ligamentis : aut os quodpiam luxatur ex eadem cauſa ; 4°. demum cauſâ quacumque externâ , partem è loco ſuo exturbante : ut in fracturis , & luxationibus quibuſcumque frequens eſt.

Partes verò peccant *in connexione* ; duplici modo : 1°. ſi uniantur , quæ debent eſſe ſeparatæ : 2°. ſi ſeparentur ; quæ debent eſſe unitæ.

Uniuntur autem quæ debent eſſe ſeparatæ ; 1°. vitio conformationis , ut imperforatis , ſive atretis ; in iis quibus podex , vel os occluſa ſunt ; 2°. coalitu partium ulceratarum : ſic digiti eroſi uniuntur : ſic palpebræ ulceratæ coaleſcunt , niſi caveatur ; 3°. conglutinatione , quæ fit ab interpoſita lympha : eo pacto pulmones pleuræ , adeoque coſtis adhæreſcunt.

Tandem ſeparatio , ſeu ſolutio partium unitarum à pluribus cauſis infertur , quæ ſuprà propoſitæ fuerunt, in recenſendis ſolutionum differentiis : ideoque , ne hîc fruſtra repetantur , inde deſumendæ ſunt.

ART. II.

De cauſis morborum partes fluidas afficientium.

§. I.

De cauſis morborum chyli.

CHYLUS, ut ſuprà dictum eſt, quadrupliciter peccare poteſt, *quantitate*, *qualitate*, *conſiſtentiâ*, & *motu*.

Primò, *Quantitas* chyli vitioſa eſt, ſi nimia, vel ſi ſolitò parcior ſit: nimia quidem eſt ſi, alimenta euchyma, eupepta, copioſa aſſumantur, & ſi fermenta chylopœa multùm actuoſa, & energica fuerint.

Contrà verò ſolitò parcior contrariis cauſis, nimirum ſi pauca & dyſpepta alimenta comedantur, & ſi fermenta digeſtiva, quibus confici debent, & in chylum converti, inertia ſint.

Secundò, multiplicia ſunt chyli vitia penes *qualitatem*, quæ tamen in præcedentibus ad quatuor capita haud in-

congruè revocavimus. 1°. Ratione qualitatis vitiatæ, chylus *apeptus* eſt, (*a*) cùm alimenta uſurpantur apepta, vel dyſpepta, quæ ſuccorum digeſtivorum energia diſſolvi, & fermentari, adeoque in laudabilem chylum, probumque converti, vel non poſſunt, vel ægrè poſſunt: tales ſunt braſſicæ, cepæ, allia, aſparagi, acetaria, &c. (*b*) cùm fermenta chylopœa, vappida & effœta ſunt, ideoque deſtinatæ actioni imparia. 2°. ratione quantitatis vitiatæ, chylus eſt, vel ſeroſus, vel caſeoſus, vel butyroſus præter naturam. *Seroſus* quidem eſt, (*a*) ſi alimenta, quibus utimur, humidiora ſint: ut olera quæcumque, piſces, fructus horæi, acetaria, &c. (*b*) ſi nimia ſit potatio, præſertim aqueorum potulentorum, ut aquæ, vel vini aquoſi, oligophori, quæ intempeſtivè ingeruntur, dum digeſtio confecta eſt. *Caſeoſus* verò eſt, (*a*) ſi edulia lactea, vel caſeoſa fuerint, ut lacticinia, & caſei qualeſcumque; (*b*) ſi cibaria farinacea ſint, ex vegetabilibus non fermentatis, ut caſtaneæ, oryza, hordeatum; (*c*) ſi potulenta quantitate deficiant, quæ craſſum, viſcidumque chylum inde con-

ſectum diluant & liquefaciant. Denique *butyroſus*, (*a*) ſi alimenta tenuiore adipe, ſive axungiâ, referta ſint : ut capones ſaginati, caro pinguior, &c. (*b*) ſi fercula adhibeantur, adipe, butyro, larido, variiſque aromatis condita, ut ea cupediarum genera, quæ vulgò *patés*, *ragoûts*, *terrines* appellantur; (*c*) ſi eſculenta, in ſartagine, oleo, vel butyro frixa ſint : ut multiplex piſcium genus; (*d*) ſi nimius chocolatæ uſus ſit, quæ olea continet volatilia, & evecta. 3°. Ratione qualitatis mutatæ, chylus eſt vel ſalinus, vel ſulphureus, vel terreus. *Salinus* quidem, (*a*) ſi nimius ſit ſalſamentorum abuſus, tum ex piſcibus, tum ex animalium carne (*b*), ſi nimio ſale culinario, cibaria, etiam euchyma, ex prava conſuetudine, inſpergantur : ut iis ſolemne eſt quibus palatum jam hebes eſt. *Sulphureus* verò, (*a*) ſi cibaria pinguedinem, quaſi ſebaceam, habeant, ut ovilla, ſed imprimis bubula caro adipoſior; (*b*) ſi eſculenta melle, ſaccharo, defruto condita ſint : ut bellaria quævis; (*c*) ſi potulenta craſſo, pinguique ſulphure fœta ſint : ut vinum muſteum, hydromel, &c. *Terreus* demum, (*a*) ſi edulia

terreis partibus abundent, ut legumina omnigena, caro leporina, caro avium paluſtrium, radices ferè omnes eſculentæ; (*b*) ſi aqua, quæ potatur, lutulenta ſit, ut in locis paludoſis: ſi vinum terreum ſit, ut in quibuſdam regionibus. 4o. Ratione qualitatis mutatæ, chylus eſt acidus, aut acido-ſalſus, acer, aut ſalſo-acer, ſalſus aut ſalſo-muriaticus. *Acidus* quidem, aut *acido-ſalſus*, (*a*) ſi alimenta acida ſint, aut acido-auſtera: ut fructus horæi immaturi; (*b*) ſi in victum frequentiùs adhibeantur ſalgamata: ut cucumeres, cappares, capſica aceto condita; (*c*) ſi bibatur vinum aceſcens, aut immaturæ vitis; (*d*) ſi frequens abuſus ſit liquorum ex omphacio, ex limonibus, ex groſſularia, cum ſaccharo confectorum; (*e*) ſi bellaria immodicè edantur, dulcia, mellita, ſaccharata, defruto condita: quæ, cùm acido occulto ſcateant, facilè ſolent in ventriculo aceſcere (*f*) ſi triſtitia & mœror rodat, ſi ſollicitudo anxium habeat, ſi detineat ſtudium contumax aut meditatio gravis: quia tunc ſpiritus parciùs fluunt ad organa digeſtionis, lentiùs inde chyloſis perficitur, ac

tandem morâ & calore, acida in cibariis ſepulta ita evolvuntur, ut liquamen chylaceum acore inficiant; (g) ſi nimia fuerit ſegnities & deſidia, quia inde pultamen chylaceum diutiùs hæret in ventriculo, expreſſionis defectu, quâ ulteriùs urgeatur, atque adeo morâ, ut ſuprà dictum eſt, ſolet aceſcere. Contrà verò *acer*, aut *ſalſo-acer* fit, (*a*) ſi edantur cibaria acria, aut ſalſo-acria: qualia ſunt cepæ, allia, piperata, aromata omnia, &c.; (*b*) ſi immodicus fuerit uſus ſinapis, quâ ſolent eſculenta intingi; (*c*) ſi immoderatè epotentur liquores ſpirituoſi, ſale alcalino fœti: ut vinum meracius, ſpiritus vini, vel purus, vel variis condimentis alteratus; (*d*) ſi decoctum caffe, quod acrem naturam manifeſtè obtinet, poſt ingeſtos cibos copioſiùs aſſumatur; (*e*) ſi iracundia fervidior, aut exercitia corporis nimia fuerint: hæc enim fermentorum digeſtivorum quantitatem & acrimoniam augent, adeoque chylo vitioſam acredinem ex accidente communicant. Denique *ſalſus*, aut *ſalſo muriaticus*, (*a*) ſi victus quotidianus ſit ex ſalſamentis, v. g. piſcibus ſalitis, aut carnibus ſale vel fumo induratis, &c.

ſuilla; v. g. bovina, (*b*) ſi potulenta ſubſalſa ſint, ut in locis mari vicinioribus, ubi aquæ dulcis penuria plerumque eſt.

Tertiò, peccat chyli *conſiſtentiâ*, 1°. ſi aquoſior, fluxiliorque ſit. 2°. ſi craſſus, viſcidus, lutulentus; 3°. ſi coagulatus, & grumoſus ſit. Chyli *fluiditas*, & *aquoſitas nimia* pendet, (*a*) ab uſu alimentorum humidiorum, ut ſunt fructus omnes horæi; (*b*) à potatione nimia, frequentiùs & intempeſtivè repetita; (*c*) ab inertia fermentationis, quæ tenuiores ſolùm, & aquoſiores cibariorum partes diſſolvit. Contrà chyli *craſſities* lutulenta producitur, (*a*) ab alimentis craſſis, viſcidis, farinoſis, quæ chylum caſeoſum ſuggerunt, ut ſuprà dictum eſt, (*b*) à parciore potu; (*c*) ab immoderato interaneorum calore, qui potulentorum partem difflat, & abſumit; (*d*) ab aucta fermentorum chylopœorum energia, quæ cibaria ita intimè dividunt, ut ſolita potulentorum quantitas, iis diluendis, impar ſit: ut in bilioſa, nidoroſa, & atrabilaria indigeſtione. Tandem chyli *coagulatio* in grumos ab acore inducitur, quem adventitium, à cauſis externis obtinet, aut quem ſpontaneum quando-

que concipit, ſicut jam modò dicebamus.

Quartò motus chyli vitioſior eſt, ſi citatior aut tardior ſit. *Citatior* eſt, (*a*) ſi chylus in primis viis abundet; (*b*) ſi organa, chyli truſioni proſpicientia, valida & vegeta ſint: ut in athleticis conſtitutionibus; (*c*) ſi corpus exercitio immoderatiùs defatigetur: quia inde, validioribus viſcerum motionibus, chylus fortiùs exprimitur. Contrà motus *tardior* eſt, (*a*) ſi chylus parcior fuerit; (*b*) ſi organa, traducendo chylo faventia, languida ſint: ut in extenuatis, & cachecticis; (*c*) ſi vita deſes & ſedentaria fuerit, quia è torpentibus infimi ventris viſceribus, chylus, debiliùs, tardiùſque protruditur ad aſcenſum.

§ II.

§. II.

De cauſis morborum ſanguinis.

QUÆ de cauſis morborum chyli modò diximus, lucem haud paucam iis præferunt, quæ de cauſis morborum ſanguinis dicturi ſumus: ſanguis enim totidem & iiſdem modis peccare ſolet, quibus ipſe chylus, videlicet *quantitate*, *qualitate*, *conſiſtentiâ*, & *motu.*

Primò, *Quantitas* ſanguinis dupliciter morboſa eſt, ſi abundet, & ſi deficiat præter modum.

Augetur autem ſanguinis copia, vel verè, vel apparenter tantùm: verè, ut in plethora vera & legitima: (*a*) ſi chylus ipſe abundaverit ex cauſis ſuprà memoratis; (*b*) ſi vita deſes, otioſa, ſedentaria, ſomnolenta ſit: ſi mens, vel nullis, vel blandis pathematis exerceatur: ſi nulla vel pauca venus; unde parcior perſpiratio, parciorque humorum quorumcumque ſecretio, qui à ſanguine ſolent ſecedere; (*c*) ſi evacuatio quædam, vel ſupprimatur, vel imminuatur, ut menſtrualis in mulieribus hæmor-

rhoïdalis in iis qui hæmorrhoïdibus laborant, excretio urinarum, &c. Apparenter verò, ut in plethora ſpuria, ſive notha: ſi nempe cruor, ex calore & orgaſmo, excandeſcat, & rareſcentiâ majus quàm antea ſpatium occupet, vaſaque impenſiùs diſtendat.

Imminuitur contrà, (*a*) ſi chylus defecerit, vel parcus ſuggeratur; (*b*) ſi vigiliis, & laboribus exercita vita ſit; ſi animi pathemata vehementiora, frequentiora, ſint; ſi effrænata venus; quia tunc uberior perſpirationis, cæterorumque humorum, ſecretio ſanguinem exhaurit; (*c*) ſi gravis hæmorrhagia præceſſerit ex vena, aut arteria diſciſſa, aut ex catameniis immodicis; (*d*) ſi nimia fuerit cujuſdam humoris ſeparatio; ut in alvi fluxu, ſudatione immodicâ, urinæ profluvio, &c.

Secundò, innumera ferè ſunt *qualitatis* vitia in ſanguine: poſſunt tamen commodè ad quinque capita revocari, ut ſuprà circa chylum præſtitimus. Itaque 1°. Sanguis, ratione qualitatis, *impurus* eſt, ſi vitioſo partium heterogenearum conſortio inficiatur: illæ autem partes quæ ſanguinis puritatem inquinant,

ſunt, (*a*) puris guttulæ, quas ab internis abſceſſibus, vel ulceribus, ſanguis circulando legit; (*b*) mineralia, metallicave corpuſcula, quibus aquæ potabiles frequenter imprægnatæ ſunt, in regionibus venarum metallicarum feracibus; (*c*) miaſmata, ſive effluvia quæcumque vitioſa, aëri confuſa, & ſanguini quomodocumque tranſmiſſa; (*d*) integrantes flocci chyli crudi, apepti, difficulter coctibilis. 2°. Sanguis ratione qualitatis, vel eſt ſeroſior, vel fibroſior, vel partes globuloſas purpureaſque ſolitò plures continet; *Seroſior* eſt, (*a*) ſi chylus ſeroſus ſuggeratur; (*b*) ſi aër humidus, nebuloſus, pluvioſus ſit, qui partes aqueas ſanguini per reſpirationem, aut per cutis ſpiracula, communicet; (*c*) ſi retineatur humor aquoſus quiſpiam, ut urina, ex ſuppreſſa aut imminuta naturali ejus excretione; (*d*) ſi ſanguis ita diſſolvatur, unde idem ſerum, ſui juris factum, & à cæterorum principiorum conſortio extricatum, ubertim ſupernatet: vel ſi è contrà cruor ita coaguletur, ut è denſatis interſtitiis ſerum exprimatur, grumoſque coacti ſanguinis copioſè circumfluat: hæc autem poſtre-

ma cauſa apparentem tantùm ſeri redundantiam infert; at cæteræ priùs recenſitæ veram ejuſdem exuperantiam in ſanguine producunt; *Fibroſior* eſt; (*a*) ſi chylus caſeoſus, viſcidus, & lutulentus fuerit; (*b*) ſi ſerum copiâ defecerit, quo cruoris partes diluantur, & liquefiant: deeſt autem ſerum in ſanguine, vel quia orgaſmo febrili, & exercitio nimio diſſipatur; vel quia evacuationibus immodicis, ſudatione nempe, alvi fluxu, urinæ profluvio exhauritur; (*c*) ſi fermentativus, & circulatorius ſanguinis motus ita minuantur, ut in fibroſis ſanguinis partibus atterendis & concidendis haud ſatis ſufficiant; (*a*) *Partes globuloſo-purpureas ſolitò plures continet*: (*a*) ſi chylus butyroſus ſubminiſtretur; (*b*) ſi ſanguis auctâ fermentatione, & circulatione minùtius concidatur, adeoque fibroſæ partes quas habet in purpureos globulos ferè omnes ſenſim faceſcant, mechaniſmo quem in Phyſiologia explicavimus. 3°. Sanguis ratione qualitatis, eſt modò ſalinus, modò ſulphureus, modò terreus; *Salinus* ſanguis efficitur, (*a*) chylo ſalino, quem primæ viæ tranſmittunt; (*b*) retento humore quovis ſalino, v. g. ſudore, humore

inſenſibilis tranſpirationis, &c.; (c) nimiâ partium ſalinarum extricatione à ſulphurum compedibus; qualis ex ſanguinis diſſolutione ſolet ſecedere; priores autem cauſæ ſalis copiam in ſanguine verè augent, poſterior verò apparenter tantùm: Sanguis *ſulphureus* eſt, (a) chylo ſulphureo; (b) retentione humoris cujuſcumque ſulphurei intra ſanguinis maſſam, bilis, v. g.; (c) à debiliori ſanguinis motu, quo ſulphurum ſtamina, minus conciſa, ſenſim craſſeſcunt, ac tandem cæteris principiis prædominantur; cauſæ illæ ſanguinem ſulphureum verè quidem, & hæc apparenter tantùm facit. Denique ſanguis *terreus* eſt, (a) ex terrea chyli diatheſi; (b) ex immoderata difflatione principiorum actuoſorum, aquei nempe, ſalini, & ſulphuphurei, quam promovent exercitia nimia, vigiliæ diutiùs protractæ, animi pathemata vehementiora, &c. 4°. Sanguis ratione qualitatis eſt acidus aut ſalſo-acidus, acris, aut ſalſo-acris, ſalſus, aut ſalſo-muriaticus; Sanguinem *acidum* aut *ſalſo-acidum* faciunt, (a) chylus acidus, aut ſalſo-acidus; (b) retentus humor quiſpiam acidus, putà ſemen prolificum,

ut in Eunuchis, iiſque qui cœlibem, caſtamque vitam vivunt; (c) acida miaſmata ſanguini quomodocumque infuſa, v. g. impuro concubitu in lue venerea, &c.; (d) debilis cruoris actio, quæ acidis quæ chylo naturaliter inſunt atterendis, & in ſalſo-acria convertendis impar, aut parum apta ſit: unde illa naturam pertinaciùs retinent. Contrà ſanguinem *acrem* aut *ſalſo-acrem* efficiunt, (a) chylus acris, aut ſalſo-acris; (b) retentus humor quilibet acris, aut ſalſo-acris, ut inſenſibilis perſpiratio, bilis, &c.; (c) miaſmata acria, aut ſalſo-acria, ſanguini qualicumque viâ immiſſa, ut in imprudenti ſubſtantiarum acrium deglutitione; (d) valida cruoris actio, quâ acida chylo ſubminiſtrati ſalia in acrem aut ſalſo-acrem naturam ocyùs commutantur. Demum ſanguinem *ſalſum*, *ſalſo-muriaticum*, *ammoniacum* reddunt, (a) chylus ſalſus, vel ſalſo-muriaticus; (b) retentus humor ſalſus, v. g. ſudor; (c) aër marinus & ſubſalſus, qui iteratâ reſpiratione ſanguinem ſimili labe ſenſim inficit, ut in diùturnis navigationibus; (d) prægreſſa validior, vel

diuturnior actio quâ ſanguinis ſalia in acerrimum liquamen degeneravere.

Tertiò, ſanguinis *conſiſtentia* tripliciter vitiatur; (*a*) ſi ſanguis tenuior, fluxiliorque ſit: (*b*) ſi craſſior ſpiſſiorque ſit; & quaſi reſinoſus: (*c*) ſi in floccos, grumoſve coaguletur; Sanguis autem *tenuior, fluxiliorque* evadit, (*a*) ſi ſeroſior fuerit; (*b*) ſi diſſolvatur & carminetur vi & energiâ partium acrium, aut ſalſo-acrium luxuriantium; (*c*) ſi concidatur à ſalibus ſalſis, aut muriaticis prædominantibus; (*d*) ſi atteratur validiore actione, qualis in febribus. Contrà verò *craſſior*, *ſpiſſior*, & *quaſi reſinoſus*, fit, (*a*) ſi præter naturam fibroſus fuerit; (*b*) ſi ſerum, quod ſanguini ineſſe debet, abſumatur febre lentâ, exercitiis, venere, vigiliis, calore externo, animi pathematibus vehementioribus, anxietate, ſollicitudine, &c. (*c*) ſi ſerum à ſanguine exhauriatur, evacuationibus nimiis ſudoris, urinæ, ſuccorum inteſtinalium in diarrhœa, &c. Tandem ſanguis *in grumos concreſcit*, ſi acidis aut ſalſo-acidis ſpiculis fœtus ſit ex cauſis jam recenſitis.

Quartò, motum in ſanguine geminum

agnoſcimus, partium ſanguinis inter ſe ſcilicet & circulatorium: gemina proinde futura ſunt cruoris vitia ratione *motûs*, nimirum ratione motûs partium inter ſe & motûs circulatorii. *Motus* autem partium inter ſe intenditur, vel imminuitur; *Intenditur*, (*a*) à nimia principiorum mobilium, quæ ſanguini inſunt, copiâ, quam cauſæ omnes inferunt modò expoſitæ, ubi de vitiata ſanguinis quantitate; (*b*) à nimia eorumdem principiorum mole & craſſitie, ut in ſanguine craſſo, ſiccoque, unde validior motus & affrictus major; (*c*) à nimia eorumdem extricatione, ut in diſſoluto ſanguine: unde faciliùs, liberiùſque congrediuntur; (*d*) à nimia eorumdem admixtione per intima, qualem inferunt aër calidior, vigiliæ diuturniores, animi pathemata vehementiora, exercitia immodica, dolor acutior, &c. quæ omnia ſanguinis principia variè conquaſſant. Contrà verò *imminuitur* cauſis contrariis, videlicet, (*a*) paucitate principiorum fermentativorum, ut in diatheſi ſulphurea & terrea; (*b*) tenuitate eorumdem, ut in diatheſi ſeroſa, aut nimia ſanguinis diſſolutione; (*c*) implicatione

eorumdem intra ſulphurum ſtamina, ut in diatheſi fibroſa, ſulphurea, nimiave ſanguinis coagulatione; (*d*) defectu cauſarum ſuprà recenſitarum quæ majorem principiorum congreſſum conciere valent. Pari prorſus modo, *circulatorius* ſanguinis *motus* intenditur, vel imminuitur; *Intenditur*, à citatiore cordis motu, quem ſanguis irritando, vel diſtendendo ſollicitat, dum ſolitò acrior eſt, aut impenſiùs exæſtuat; (*b*) ab aucta tenuitate & fluxilitate ſanguinis, qui inde truſioni promptiùs obſequitur; (*c*) à validioribus muſculorum contractionibus, quæ ſanguinis circuitum accelerant, ut in immodicis exercitiis; (*d*) ab intenſiore fermentatione, quia rareſcentia, quæ fermentationem ſequitur, ſanguinis progreſſum motumque urget. E contrario *imminuitur*, (*a*) ſi cor rariùs, ſegniùſque pulſet ex leviori irritatione, aut diſtenſione, quam ſanguis inſulſus, pacatuſve inferat; (*b*) ſi ſanguis craſſus, fibroſus, viſcidus propellenti cordi fortiùs reluctetur; (*c*) ſi nulli, vel ſegnes ſint, muſculorum contractivi niſus, ut in illis, quibus vita deſes, & ſedentaria; (*d*) demum, ſi parva, debiliſque ſit ſan-

guinis rareſcentia, quâ proinde circulatorius ejuſdem motus parum promoveatur.

§ III.

De cauſis morborum lymphæ.

Ex nota ſemel ſanguinis craſi; humorum ſecundariorum, qui à ſanguine ſecedunt, craſim explicaſſe haud difficile eſt, ut ſequenti lymphæ & fermentorum digeſtivorum exemplo abundè liquebit.

Lympha videlicet, ſicut & ſanguis quadrupliciter peccare poteſt, *quantitate*, *qualitate*, *conſiſtentiâ* & *motu*.

Primò, *quantitas* vitioſa eſt, ſi exuperet, vel ſi deficiat; *Exuperat* autem, (*a*) ſi ſanguis copiosè abundaverit; (*b*) ſi ſanguis ſeroſus, tenuis, fluxilis ſit, qui lympham, quam habet, faciliùs dimittat, (*c*) ſi partes corporis ſolidæ vegetæ ſint; & jugi ſpirituum fluxu irradientur: unde optata lymphæ ſecretio feliciùs ſuccedat, uberiorque ſit. *Deficit* verò, (*a*) ſi ſanguis paucus vaſis inſit; (*b*) ſi ſanguis, qui vaſis ineſt, fibroſus, aut craſſus, viſciduſque ſit, quique proin-

de lympham & paucam habet, & quam habet, ægrè dimittit; (c) ſi partes organicæ ſpirituum fluxu defraudentur, unde collapſæ ſecretioni lymphæ reluctentur.

Secundò, totidem lymphæ vitia ſunt, ratione *mutatæ qualitatis*, quot ipſius ſanguinis: ſed quæ, pari ratione, ad generalia eadem capita revocari poſſent. Itaque 1°. lympha *impura* eſſe poteſt: impura autem redditur miſcelâ partium, vel puris, quas ab internis abſceſſibus, vel ulceribus, vel ſanguinis, quas à majoribus ſuggillationibus, vel mercurii, quas à Neapolitano ungento cuti applicato ſugit circulando. Lympha 2°. poteſt eſſe aquoſior, vel glutinoſior, tenaciorque; *aquoſior* eſt (*a*) ſi ſanguis, unde ſcaturit, aquoſior ſit; (*b*) ſi balneatio frequens adhibeatur, aut aër ſummopere nebuloſus ſit, adeoque exinde per cutis poros, aquoſæ guttulæ inſinuentur ad lympham diluendam; Contrà verò *glutinoſior & tenacior* futura eſt, (*a*) ſi ſanguis fibroſus, aut craſſus, viſciduſque fuerit; (*b*) ſi calor externus, quo corporis habitudo uritur, aquoſiores lymphæ partes difflet, diſſipetque. 3°. Lympha fit *ſalina*, *ſulphurea*, *terrea*, *acida* aut

ſalſo-acida, *acer* aut *ſalſo-acer*, *ſalſa* aut *ſalſo-muriatica:* ſed ea vitia ſingula à conſimilibus ſanguinis vitiis pendent : ſiquidem principiata, ut vulgari fertur axiomate, redolent naturam principiorum, atque adeò ex ſuprà dictis repetenda ſunt.

Tertiò, lympha ratione *conſiſtentiæ* trifariam morboſa eſſe poteſt, 1°. ſi fluxilior tenuiorque; 2°. ſi ſiccior, ſpiſſiorque; 3°. ſi coagulata ſit. Lympham ſolitò *fluxiliorem* faciunt (*a*) ſanguis naturâ ſeroſior; (*b*) ſanguis ab alkalibus diſſolutus; (*c*) ſanguis nimiùm diviſus; (*d*) demum validiores muſculorum contractiones, ut in exercitio immodico, quæ lympham ſubigunt, atteruntque. Contrà *ſicciorem* lympham reddunt, (*a*) ex ſicca ſanguinis diatheſi; (*b*) calor externus, quo lympha, difflatis aqueis partibus, ſenſim exareſcit. Demum lympha *coagulatur*, vel ab acidis quæ à ſanguine acido accipit, vel ab acidis quæ per cutis poros admittit, vel in concubitu impuro quo Syphilis vel lues venerea contrahitur.

Quartò, *motum* unicum in lympha admittimus, *circulatorium* nempe, qui po-

teſt morboſè vel accelerari vel remitti; *acceleratur* (*a*) à celeri ſanguinis motu, cui lymphæ motus correſpondet; (*b*) à validioribus & frequentioribus muſculorum contractionibus, ut in exercitiis, quæ lympham urgent, promoventque: (*c*) à vegeto niſu partium ſyſtaltico, quem jugis uberque ſpirituum fluxus producit: unde lympha celeriùs fortiùſque exprimitur; (*d*) à fluxilitate lymphæ ipſiuſmet, quâ ſe cauſarum propellentium efficaciæ magis obſequioſam præbet. E contrà *remittitur* cauſis contrariis, (*a*) tardo, ſegnique ſanguinis motu; (*b*) imbecillibus, aut raris, muſculorum contractionibus, ut in deſidibus, (*c*) fracto & debilitato partium tono, ut in extenuatis, exhauſtis & paralyticis; (*d*) denique lymphæ ipſius craſſitudine, aut coagulatione, quibus promoventium cauſarum actioni refractaria eſt.

§. IV.

De cauſis morborum fermentorum digeſtivorum.

FERMENTA chylopœa, ſive digeſtiva; quæ duo ſunt, ſaliva & ſuccus ſtomachalis, tripliciter ad ſummum peccant: *quantitate* nempe, *qualitate* & *conſiſtentiâ*: in illis enim peculiarem nullum truſionis motum agnoſcimus.

Primò quantitas autem vitioſa eſt, vel exceſſu, vel defectu; *Exceſſus* accidit, (*a*) ſi ſanguis copioſiùs abundet, ſi tenuis, fluxilis ſit, parteſque recrementitias, quas recondit in ſinu, facilè dimittat; (*b*) ſi organa ſecretoria libera pateant, jugique ſpirituum affluxu tendantur; *Defectus* verò producitur, (*a*) vitio ſanguinis: ſi paucus fuerit: aut ſi craſſus, viſcidus, coagulatus ſit; (*b*) vitio organorum ſecretoriorum: ſi ex obſtructione, vel compreſſione impervia ſint, aut ſi defectu influentium ſpirituum collapſa flacceſcant.

Secundò; multiformia fermentorum digeſtivorum vitia penes *qualitatem*,

poſſent ad certa capita haud incommodè revocari ; 1°. quidem, *impura* fiunt ſi alienæ humorum, v. g. bilis, urinæ guttulæ admiſceantur, ut accidit cùm humores illi ab obſtructis infarctiſve ſuis colis præcluſi, coguntur intra ſanguinem præter naturam ſubſiſtere, adeoque cum fermentis digeſtivis connubium inire ; 2°. *ſalina* erunt, *ſulphurea*, *acida* vel *acido ſalſa*, ſolitò nimis *acria* vel *ſalſo-acria*, *ſalſa* demum vel *ſalſo-muriatica*, ſi ſanguini, à quo ſcaturiunt, cujuſque indolem referunt, ſimilis congenerque diatheſis inſit.

Tertiò, duo agnoſcimus *conſiſtentiæ* vitia in fermentis digeſtivis, fluiditatem ſcilicet, aut craſſitudinem nimiam. *Fluiditatem nimiam* infert, (*a*) abuſus potulentorum, quæ fermenta nimis diluunt ; (*b*) vitium ipſius ſanguinis : ut v. g. ſi naturâ ſeroſus ſit, ſi ab alkalibus, aut ſalſo acribus, ſalſis aut muriaticis diſſolutus : ſi à prægreſſis fermentationibus attritus ſit. Contrà *craſſitudinem immodicam* producit, (*a*) parcior hauſtus potulentorum ; (*b*) ventriculus æſtu fervidior, quique proinde tenuiores fermentorum partes diſſipat ; (*c*) vitium ſanguinis, ut

ſi fibroſus, ſi craſſus, aut ſiccus fuerit.

ART. III.

De Cauſis Morborum compoſitorum.

COMPOSITI ii morbi ſunt, qui diverſas partes eodem tempore, vel eaſdem multiplici ac diverſo vitio ſimul, labefactant. Inde ergo conſequens eſt compoſitos quoſcumque morbos originem ducere, vel ab unica cauſa, quæ ſimul morbos duos, pluresve inferat: vel à ſimultaneo duarum vel plurium cauſarum concurſu; quarum ſingulæ ſuos effectus, proprioſque morbos producant.

Prioris casûs exemplum eſt, tumor quilibet, qui partes quaſvis ſolidas multifariam lædit: ipſe enim fit à præternaturali humorum quorumlibet ſtagnatione, quam inducit canalium, ſive ductuum coarctatio quævis; inde ab hac unica cauſa fit, 1°. partis inflatio, adeoque morbus in magnitudine: 2°. nativæ figurationis depravatio, atque adeo morbus in figura; unde liquet cauſam unicam plura vitia ſolidis partibus inferre poſſe.

Alterum rei ejuſdem exemplum præbet febris quæcumque : cauſa enim unica, quâ excitatur, tres fluidorum morbos ſimul producit, nimirum 1°. intendit motum partium ſanguinis inter ſe : 2°. accelerat motum circulatorium : 3°. auget rareſcentiam, atque plethoram ſpuriam inducit.

Poſterioris verò casûs exempla fere ſunt innumera, ut particulares morborum hiſtorias perlegentibus ſatis notum eſt : at inſtar omnium unum ſit, peripneumonia, v. g. fit illa ſimultaneo concurſu duarum cauſarum, unius quæ ſolidas, alterius quæ liquidas corporis partes afficit : prior eſt obex quivis ſanguini per pulmones circulanti appoſitus : unde accidit tumor inflammatorius pulmonum, adeoque multiplex ſolidorum morbus conſequitur, in magnitudine ſcilicet, figura, &c. ; poſterior verò eſt lucta major principiorum ſanguinis fermentativorum, unde febris excitatur, adeoque multiplex advenit fluidorum morbus, in fermentatione intenſa, in circulatione accelerata, in plethora nothâ inducta, &c. Inde manifeſte liquet compoſitos omnes morbos

originem neceſſariò trahere, vel à cauſa unica quæ plures coeffectus ſimul producat, vel à pluribus concauſis unà concurrentibus, quarum ſingulæ ſuos proprioſque effectus habeant.

CAPUT ALTERUM.

De cauſis accidentales morborum differentias inferentibus.

ART. I.

De cauſis differentiarum quæ à motu deſumuntur.

CAUSA quævis morbifica, vel eſt immaterialis, nuda ſcilicet, meraque qualitas vitioſa, corporis partibus impreſſa, motus, v. g.; vel eſt materialis, prava nimirum, corruptaque materies, ſanguini quomodocumque tranſfuſa, cacochylia, v. g. contagium venereum, peſtilentiale, &c. ſed 1°. ea cauſa, qualiſcumque fuerit, ubi primum agit in corpus, debet certum ef-

fectum producere ; 2o. cùm per aliquod tempus continuata viget ejuſdem actio in partes corporis, debet, gradario incremento, effectus inde productus intendi ; 3°. quando cauſa ad ſummum energiæ gradum producta eſt, debet aliquandiu eâdem vi & intenſione furere ; 4°. demum cauſa inde ſenſim, vel per artem, vel per naturam, evaneſcente, debet proportione effectûs, quem intulit, imminui & declinare.

Hinc neceſſariâ conſecutione evidens eſt, quatuor diſtincta dari tempora in morbis, ex quibus convaleſcentia datur, principium ſcilicet, augmentum, ſtatum, & declinationem, qualia in cæteris quibuſvis naturæ operationibus obſervare eſt, quæ ſtatas, ſimileſque initii, augmenti, conſiſtentiæ & declinationis ſucceſſiones habent : at ſi morbus morte terminetur, unâ aut alterâ periodo, declinatione nempe ſolet deficere, vel ſtatu ſimul & declinatione, prout letho præcipiti morbus incipiens vel ſtans concluditur.

ART. II.

De cauſis differentiarum quæ à duratione repetuntur.

MORBORUM duratio poteſt dupliciter conſiderari, vel ut diuturna, vel ut continua: unde duplex morborum differentia.

Primò quidem ratione *diuturnitatis*; cauſa omnis morbifica, vel eſt contumax & ægrè deſtructibilis, vel naturâ mobilis & difflatu facilis: Prioris generis ſunt, vitia quæcumque ſolidis partibus inſita: poſterioris verò, vitia quæ partibus fluidis, ex ſe mobilioribus, propria ſunt; inde eſt quòd illa morbos longos & chronicos, hæc verò morbos breves ſoleat producere. Ea autem cauſa, fluidis impreſſa & ex ſe citò difflabilis, vel parvas turbas ciet, levioreſque functionum læſiones infert, quia pauca & mitis, & tunc morbos ſimpliciter breves: vel turbas maximas excitat, ſummamque producit functionum læſionem, quia multa & efficax, & tunc morbos acutos facit. Solent au-

tem morbi illi acuti, pro varia durationis periodo, à Practicis diſtingui, in perperacutos, peracutos, acutos, ſimpliciter, & acutos ex decidentia, ut in præcedentibus abunde explicatum fuit.

2°. Ratione *continuitatis*, morbifica cauſa alià eſt, quæ ſemel in motum corpus continuatâ actione impetit, ſi ſemel ceſſaverit, non ampliùs reditura, & illa morbos continuos: alia verò quæ per alternatas vices ceſſat, reditque, & illa morbos intermittentes inducit: ſi autem ſtatæ ſint illorum recurſuum periodi, morbi inde oriundi, intermittentes & periodici: ſi contrà incertæ fuerint, morbi intermittentes & erratici futuri ſunt.

ART. III.

De cauſis differentiarum quæ à more & magnitudine repetuntur.

MATERIES morbifica, & quantitate variat & qualitate diſcrepat, unde nunc magnas, nunc parvas, turbas concipiet, atque inde morbi vel magni, vel parvi.

Magna autem turba, quæ magnos morbos conſtituit triplex eſſe poteſt, *primò* quidem magna, ſed ſine gravioribus ſymptomatibus, morbique quos facit benigni inde dicuntur; id autem à triplici capite repetendum eſt, (*a*) ex eo quòd cauſa magna quidem ſit, ſed non ſumma; (*b*) ex eo quòd ſanguis, cæterique humores, ritè conſtituti ſunt, unde ab adveniente cauſa minus depravantur; (*c*) ex eo quòd viſcera omnia, quæ in triplici ventre continentur, ita libera, vegetaque ſint, ut ab æſtuante ſanguine infarciri non poſſint.

Secundò, turba humoribus inducta, magna non ſolùm eſt, ſed funeſta etiam ſymptomata invehit, quæ tamen

propriis ſuis ſignis, urinæ ſcilicet & pulſus depravatione judicantur; unde morbi, quos infert magni ſimpliciter dicuntur; id autem ex triplici fonte videtur deduci, (*a*) ex eo quòd cauſa major & efficacior ſit quàm in præcedenti caſu; (*b*) ex eo quòd ſanguinis diatheſis ex ſe pejor ſit, adeoque majus vitium contrahat; (*c*) ex eo quòd viſcera interanea pejus ſe habeant, atque adeo æſtuante ſanguine faciliùs opprimantur.

Tertiò demum turba, quæ ſanguini inducitur, graviſſima & funeſta inducit ſymptomata, ſed quæ neque urinæ neque pulsûs ſtatui ullatenus reſpondeant, cùm illa ferè naturalis ſit; tunc autem morbi maligni, vel inſidioſi nuncupantur; Ea autem malignitas videtur induci, vel à cauſa quæ tacito progreſſu in ſanguinem agat, coagulando: vel à cauſa quæ cerebrum ſtatim opprimat, inflammatione, atque dein vires ſuas in ſanguinem pacatiùs exerat, propter imminutum ſpirituum fluxum, ut in febre maligna.

Solent autem à Practicis maligni morbi diſtingui in venenatos, qui à veneno

aſſumpto, aut à cacochylia corrupta & veneni energiam æquante ortum habent: peſtilentes, qui ab aëre pravis miaſmatis infecto, aut ab alimentis vitioſis, corruptæque indolis producuntur: & contagioſos, qui contagio, ſive maligno effluvio è corpore ægrotantium exhalante inferuntur: id autem miri ea in re ſubeſt, quòd tenuiſſima miaſmata aëri confuſa & effluvia ſubtiliſſima ex ægro exhalantia, totam ſanguinis maſſam poſſint eo modo inficere: verùm id naturæ viribus nequaquam repugnare liquet, ex certo & nimis frequenti experimento, quo vel gutta unica fermenti hydrophobici aut venerei, ſanguini inſtillata, totum cruorem citò vitiari, & corrumpi compertum eſt.

ART.

ART. IV.

De cauſis differentiarum, quæ ab eventu deducuntur.

JAM ſuprà docuimus animati corporis functiones triplicis generis eſſe ratione utilitatis : alias ſcilicet vitæ ſuſtentandæ minus utiles ; alias vitæ utiliores , ſed tamen non abſolutè neceſſarias : alias denique planè vitæ neceſſarias.

Hinc explicatu facilis morborum diſtinctio, in ſalutares , periculoſos , & lethales : ſi enim functiones tantùm primi generis læſerint & ex ſe breves ſint, ſalutares , ſi verò functiones ſecundi generis graviter pervertant, periculoſi ; demum ſi functiones tertii generis graviter labefactent, aut ipſas etiam ſecundi generis functiones graviſſimè, vitioque rebelli corrumpant, lethales futuri ſunt.

Nequaquam tamen in ſtatuenda morborum prognoſi , ita ſoli affectuum naturæ attendendum eſt , quin ſimul quoque ægrotantium vires , temperaturam , ætatem , conſtitutionem explora-

re prudentis Medici ſit : inde enim haud rarò morbi eventus planè dependet, ita ut hæc ſalutarem quandoque morbum illum faciant, qui plerumque lethalis eſt, & contrà lethalem, qui naturâ ſalutaris eſſe conſuevit.

ART. V.

De cauſis differentiarum quæ à ſubjecto dependent.

Ut variæ ſunt differentiæ, quæ à ſubjecto repetuntur, ſic à variis cauſis deducendæ ſunt.

Itaque *primò*, cauſa morbifica, vel humores afficit, qui per univerſum corpus diſtribuuntur, ut ſunt ſanguis, lympha, ſpiritus animales; vel humori cuidam peculiari, certæque tantùm parti inſita eſt: prior morbos univerſales, poſterior verò particulares producit.

Secundò, cauſa morbifica, vel internis viſceribus inſidet, aut humores, qui vaſis coercentur, afficit, & tunc morbos internos: vel partes tantùm externas, & conſpectui obvias oc-

cupat, & tunc morbos externos facit.

Tertiò denique, cauſa morbi particularis, vel huic ipſi parti, cui morbus inſidet, primariò indita fuit, & morbus ille idiopathicus dicitur: vel ſecundariò tantùm, & aliunde per ſympathiam communicata eſt, & morbus inde inductus ſympathicus appellatur.

Quo autem modo, quove mechaniſmo, ea ſympathia fiat, quâ morbi ab affecta in ſanam partem propagantur, ſuperiùs fuſè docuimus; quamobrem rem eandem tractare hîc omittimus, ne crambem videamur recoquere.

ART. VI.

De cauſis differentiarum quæ à morbi tempore deſumuntur.

MORBORUM alii à primordiis generationis inditi ſunt, alii verò poſt excluſionem tardiùs, celeriùſve ſuperveniunt; priores, ut ſuprà dictum eſt, congeniti, ſive connati: poſteriores adventitii appellantur.

Cauſæ morborum adventitiorum ſunt cauſæ omnes procatarcticæ ſive externæ,

quarum efficacia jam ſuperiùs abundè explicata fuit.

Cauſæ verò morborum congenitorum poſſunt eſſe duplicis generis: aliæ ſcilicet quæ fœtui extrinſecùs adveniunt, dum conformatur, aut utero concluſus latitat; ſic fiunt monſtroſi partus ex conformationis vitio: ſic ex caſu, lapſu, ictuve parentis gravidæ fœtus claudi vel gibbi fiunt: ſic nimia thoracis conſtrictio, quâ nobiliores fœminæ abuti ſolent, varos vel valgos pueros facit; morbi eo pacto inducti, congeniti, ſive connati ſimpliciter dicuntur.

Aliæ verò à maleſanis parentibus in embryonem tranſmittuntur, & inde morbos varios procreant, quos Pathologici hæreditarios vocant; ſic aſthmatici, aſthmaticos: epileptici, epilepticos: calculoſi, calculoſos: phthiſici, phthiſicos liberos procreant. Ea autem propagationis ratio inter abſtruſiſſima naturæ myſteria recenſetur, neque immeritò ſanè; ſed cùm generalis conformationis mechaniſmus nos planè lateat, quid mirum ſi particulares conformationis modificationes nos ipſæ lateant?

id unum certò novimus, liberos parentum alterutri externâ oris facie ſimiles eſſe, unde conſequens eſt & internarum partium ſtructurâ & diſpoſitione iiſdem reſpondere : liquet præterea ex morum conformitate, ingeniique ſimilitudine, quæ inter parentes liberoſque ſolet intercedere, affinem eſſe utrobique ſanguinis, ſpirituumque tum naturam, tum proprietatem ; Quidni igitur, ex ſimili viſcerum conformatione, & affini ſanguinis, cæterorumque humorum craſi, congeneres morbos in liberis expectemus, quibus parentes ipſi affecti fuerint ?

ART. ULTIMUS.

De cauſis differentiarum quæ à loco deſumuntur.

TRIPLICEM tantùm differentiam agnoſcimus ratione loci, unde morbi *Endemii*, vel *Epidemii* vel *Sporadici* dicuntur.

Primò quidem, *Endemii* fiunt à cauſa quavis communi, ſed quæ tamen peculiari cuidam regioni propria ſit, v. g.

1°. ab aëris temperatura : ſic ſalſior & aridior aëris conſtitutio in Occitania inferiore phthiſim huic regioni endemiam facit ; 2°. à vitio cibariorum ; ſic ſalſamenta, quibus Nautæ Batavi veſci ſolent, ſcorbuto ingenerando conferunt, 3°. à potulentis : ſic aquæ nivales in ſubalpinis regionibus bronchoceles : ſic apud Pictones vina immitia & immatura colicum dolorem Pictonicum inferunt ; 4°. à vivendi ratione : ſic vita abſtemia chloroſim puellis Monſpelienſibus efficit : ſic Hiſpanis neglecta ſyphilis ſtrumas endemicas procreat.

Secundò, morbi *Epidemii* pendent ; à cauſa quidem communi, & in plures graſſante, ſed quæ regioni nulli peculiariter addicta ſit, & in omnes æquè poſſit communicari ; cauſa autem illa communis multiplex eſſe poteſt ; 1°. aër miaſmatibus infectus : ut in recenti terræ ſuffoſſione : in corruptela cadaverum inſepultorum, quæ pugnâ cecidere : demum in contagio à regione in regionem ſenſim prorepente ; 2°. cibaria vitiata : ſic fruges, tempeſtatum errore immaturæ, aut pravæ, morbos populares ſolent accerſere ; 3°. alimenta

inſolentia, quæ maleſuada fames in victum advocat, dum uſitatiora deficiunt: ſic peſtis famem ſequitur.

Tertiò, morbi *ſporadici* producuntur abuſu cauſarum externarum, ſive procatarcticarum, quæ, ut variè varia ſubjecta afficiunt, ſic quoque varios effectus in variis ſubjectis excitant.

TRACTATUS PATHOLOGICUS.

PARS ULTIMA.

De Symptomatibus.

SYMPTOMA, ut vox ipſa græcè ſonat, eſt ea quævis œconomiæ naturalis depravatio, quæ rei cuique præternaturali ſupervenit.

Inde, cùm tria ſint è numero rerum præternaturalium, morbus, cauſa morbi, & ipſum ſymptoma, conſequens eſt poſſe ſymptoma, morbo, vel cauſæ morbi, vel alteri ſymptomati ſupervenire; unde communis ſymptomatum differentia, in ſymptoma morbi, ſym-

ptoma cauſæ, & ſymptoma ſymptomatis.

Sic 1°. difficultas ſpirandi in peripneumonia, eſt ſymptoma morbi; ſic 2°. prava digeſtio ab ingurgitatione nimia, eſt ſymptoma cauſæ; ſic 3°. marcor à læſa nutritione, aut febris à retento humore excrementitio ſunt ſymptomata ſymptomatum.

Poſſunt tamen depravationes illæ, quocumque modo ſupervenerint, ad functiones læſas, ad vitiatos humores qui excernuntur, & ad mutatas qualitates, omnes facilè reduci; quocirca hanc ultimam Pathologiæ partem in tres Sectiones partiemur, quarum *prima* de læſionibus functionum, *altera* de vitiis excretorum, *tertia* demum de mutatis qualitatibus aget.

SECTIO PRIMA.

De læſionibus functionum.

LIQUET ex Phyſiologia ad naturale functionum exercitium, tria requiri, 1°. ut fiant : 2°. ut fiant certâ vi & energiâ; 3°. ut ordine debito, modoque conveniente fiant.

Quapropter, argumento à contrariis deducto, manifeſtum eſt functionum exercitium poſſe quadrupliciter lædi, 1°. ſi aboleantur : 2°. ſi imminuantur & ignaviùs fiant : 3°. ſi prætermodum intendantur : 4°. ſi erroneo & depravato modo exerceantur.

Hæc ergo ſingula in ſingulis functionibus conſiderari debent, quamquam non omnia hæc ſint in omnibus : & multæ ſint è functionibus, quæ morbosè intendi minimè poſſunt, ut ſequentibus apertiùs liquebit.

Cæterum, cùm functiones univerſæ

in animales , vitales , & naturales diſtribui ſoleant, eodem ordine , diſtinctis tribus paragraphis, earum læſiones ſigillatim explicabimus.

§ I.

De læſionibus functionum animalium.

FUNCTIONES animales quinque in Phyſiologia recenſentur, ſenſatio, imaginatio, judicium, memoria & voluntas, quibus ſomni & vigiliæ explicatio adjungitur, quaſi conſectaria: inde ergo facilis eſt hujus §. in ſex capita diſtributio, de earumdem functionum læſionibus eodem ordine tractatura.

CAPUT PRIMUM.

De læſionibus ſenſationum.

TOTUPLICIA ſunt ſenſationum genera, quotuplicia ſunt organa, ſive ſenſoria, fabricâ, arte, contextu diverſa; hæc autem numero ſaltem ſextuplici debent admitti, oculi nempe, aures, lingua, nares, cutis corporis extima, & organum tandem univerſale, ſive ipſa corporis compages, quæ dolori admittendo comparata eſt; hinc ergo ſex ſenſationum ſpecies diſſtinguendæ, viſio, auditio, guſtus, olfactus, tactus & doloris perceptio, quorum depravationes ſequentibus articulis explicabuntur.

ART. I.

De læſionibus Viſionis.

VISIO aboletur, imminuitur, & depravatur, uti cæteris functionibus familiare eſt.

Aboletur quidem in typhloſi, ſive cœcitate: 1°. quia palpebra, phlegmone, eryſipelate, œdemate, emphyſemate, ſchirro, grandinibus copioſis, aut obortis ulceribus tumefactæ, non dehiſcunt: quibus additur muſculus palpebrarum levator præciſus, vel paralyſi tentatus, & palpebrarum adhærentia.

2°. Quia caruncula anguli majoris, vulgò lacrymalis dicta, inflammatione, congeſtione, hyperſarcoſi, præter modum aucta, & in membranam cartilagineam expanſa, corneam contegit, ut in ungue, panno, ſive pterygio.

3°. Quia cornea, inflammatione, nebulis, ſeu leucomatis, ulceribus ſive phlyctænis, cicatrice multiplici deturpata, radios viſivos non poteſt intromittere.

4°. Quia tenuis, firma, coriacea pel-

licula anticæ cryſtallinæ lentis faciei adnaſcitur, ac pupillæ foramen occludit, ut in una hypochymatis, cataractæ ſive ſuffuſionis ſpecie.

5°. Quia lens cryſtallina, ex craſſa, hærente, & congeſtâ lymphâ inſpiſſatur, & opaca fit, atque adeò radiorum ingreſſui obeſt, ut in altera cataractæ ſpecie.

6°. Quia ſimili de cauſa, vitreus ipſe humor craſſeſcit, amiſſâque pellucidate transmittendis radiis impar eſt, ut in glaucomate.

7°. Quia nervus opticus paralyſi quomodocumque tentatur, ex obſtructione, compreſſione, relaxatione, ſuppuratione, &c. ut in amauroſi ſive gutta ſerena.

8°. Denique quia ſenſorium internum, ſive calloſa cerebri ſubſtantia ſenſiferis impreſſionibus admittendis impar eſt, defectu ſpirituum, collapſu, relaxatione, compreſſione ſubſtantiæ: ut in comatoſis & ſoporoſis quibuſcumque affectibus.

Imminuitur verò viſio in amblyopia, ſive viſûs hebetudine, cauſis conſimilibus, ſed minus efficacibus; nempe 1°.

quia palpebræ qualitercumque turgidæ parum hiant.

2°. Quia lachrymatio copioſa oculum obtenebrat, ut in epiphora.

3°. Quia cornea inflammata in ophthalmia, calloſa in albugine ſeu nebula, ulcerata in phlyctænis, radios paucos admittit.

4°. Quia unguis, ſive pterygium, dimidiam pupillæ partem obtegit, arcetque proinde ex parte radiorum ingreſſum.

5°. Quia pellicula tenuiſſima arachnoidea cryſtallinæ lenti antrorſum adnaſcitur, ut in principio ſuffuſionis.

6°. Quia lens cryſtallina, vitreuſque humor leviore concretione inſpiſſantur; ut in cataracta & glaucomate incipientibus.

7°. Quia cryſtallina lens loco mota, ut in cataractæ operatione contingit, radios viſivos nequit congregare; unde ſpecillis convexis opus eſt.

8°. Quia imperfectâ paralyſi laborat nervus opticus, ut in principio amauroſeos; vel quia languidum & iners ſenſorium commune impreſſiones ſenſiferas ignaviùs admittit, ut in veternoſis affectionibus.

Tandem viſionis exercitium, ut multifariam, ſic à multis, variiſque cauſis depravari ſolet, nam 1°. ſi palpebrarum tarſi, lucidi, tumentes, lubrici ſint, multos & copioſos radios qui in ipſos incidunt per pupillam in retinam reflectent, unde vivida radiorum lucida corpora cingentium apparentia; ut in luſcioſis & lippis.

2°. Si concretiones polyhedricæ, aqueo cryſtallino, vitreoque humori inſint, planis & lateralibus ſuis ſuperficiebus impingentes radios in retinam repellent: unde, præter veram & directam objectam lucidi perceptionem, erronea fiet objecti ejuſdem apparentia, quæ ad plures locos relata, ſcintillas, ſive marmaryges repræſentabit, pro mutato oculi ſitu mutabiles.

3°. Si nerveæ rétinæ fibrillæ ictu vehementiore in oculum inflicto, aut validiore arteriarum juxta repentium pulſatione, in ebriis, iracundis, vertigi-noſis, &c. æquè fortiter tremant ac ab ipſis radiis luminoſis, falſa fiet ſimili ratione ſcintillarum, coruſcationum, ſive marmarygum obverſantium repræſentatio.

4°. Si nebulæ per corneam ſparſæ, ſi concretiones per humores varios diſſeminatæ ſint, ſi demum variæ retinæ fibrillæ, obſtructione, compreſſione, aut relaxatione, paralyticæ fiant, multiplex variaque excitatur viſionis depravatio, quâ, vel nigricantia puncta pulicibus aut muſcis ſimilia, vel filamenta feſtucis aut lanæ carptæ affinia, vel cancelli aut ſtriæ repræſentabuntur, quibus objecta interpuncta, offuſcata, interſecta videbuntur: hæc autem phantaſmata, quæ à depravata viſione exhibentur, pro vario oculi motu, movebuntur & ipſa, quaſi per medium aërem ſponte ſaltarent, vel liberè fluitarent.

5°. Si lens cryſtallina præter naturam convexa fit, vel vitio connato, vel accidentariâ lymphæ nutritiæ congeſtione. radii à remotis objectis emiſſi, atque adeò parum divergentes, fortiore refractione citra retinam, citiùſque coibunt, unde remota objecta confuſè diſcernuntur, quamquam propinqua ſatis aptè diſtinguantur, ut in myopia. Si contrà lens eadem connato vitio, atrophiâ, ſenio prætermodum complanata fuerit, radii

à proximis objectis emiſſi, atque adeò magis divergentes debiliore refractione nequibunt in retinam concurrere, ſed in eadem confuſi incident, unde confuſa proximorum objectorum perceptio, tametſi remotiora probè diſcernantur, ut in presbyopia.

6°. Si pupilla latiùs patens, ut in mydriaſi, radios nimios admittat, præſtringetur inde viſionis acies in clara luce: at vigebit vividiùs ſubobſcuro crepuſculi tempore, unde nyctalopia. Contrà verò, ſi pupilla nimis conſtricta radiis paucioribus pervia ſit, viſio, quæ interdiu liberè exercebitur, obtundetur in luce maligna crepuſculi, unde emeralopia.

7°. Si cornea, vel oculi humores, pravo colore tingantur, color idem conſpectis corporibus ſuffundetur; ſic à flavo corneæ colore in ictero, objecta flava, quod tamen rarum eſt, ſic ab ejuſdem tunicæ rubore in ophthalmia objecta circumſtantia rubra apparent.

8°. Si nervoſæ retinæ fibræ validiore arteriarum juxta repentium oſcillatione fortiùs ſuccutiantur, talis ſuccuſſio in objecta ipſa refundetur, quæ inde va-

riè nutare, ac vertigine ſuſque deque agi videbuntur.

9°. Si alteruter oculorum convellatur, ſtrabiſmus inde fiet, quin imò objectorum geminatio, quoniam axis opticus uterque ad datum idem punctum nequit concurrere; hæc autem objecti geminatio, quæ quandiu convulſio durat, conſtans eſt, ſi objectum utroque ſimul oculo conſpiciatur: nulla prorſus obſervatur, ſi alterutro tantùm viſio fiat.

ART. II.

De læſionibus auditûs.

AUDITUS aboletur, imminuitur & depravatur.

Aboletur, in cophoſi, ſive ſurditate, 1°. propter externum meatum auditorium, inflammatione, tuberculo, fungo, ulceribus calloſis, concreto cerumine, extraneo corpore vi intruſo, aut ab humore illabente, inflatum, repletum, diſtentum, obturatum; unde radiis ſonoris nulla via patet.

2°. Propter eroſam, diſruptam, ſuppuratam, calloſam, induratam, flacci-

dam, collapſam, relaxatam tympani membranam: unde admittendis ſonoris vibrationibus impar eſt.

3°. Propter auditûs oſſicula, barioſa, loco mota, & depulſa, anchyloſi ſtrictiùs coalita, aut ligaminum elongatione nimis laxè unitâ; unde ſolitas ſonorum impreſſiones ad feneſtram ovalem non poſſunt tranſmittere.

4°. Propter tympani cavum, ſive concham, ichore, ſero, pituitâ, pure repletam; unde vibrationum ſonoriferarum propagatio in labyrinthum inhibetur.

5°. Propter membranam feneſtræ rotundæ obductam, calloſam, rigidam, induratam, aut collapſam, flaccidam & relaxatam: unde impreſſio nulla in ſcalam cochleæ inferiorem admittitur.

6°. Propter labyrinthum ichore, pituitâ, pure farctum: unde ſupprimuntur ſonoræ vibrationes ad nervum acouſticum traducendæ.

7°. Propter paralyſim nervi acouſtici quomodocumque illatam, obſtructione, compreſſione, relaxatione, vel in cerebro, vel in baſi calvariæ ſive encephalo vel demum in ductu acouſtico, quo in

aurem interiorem penetrat.

9°. Propter univerſalem ἀναισθησίαν, ſive ſenſuum defectum, à ſenſorii communis compreſſione, relaxatione, collapſu, inanitione, &c. productum: ut in apoplecticis & comatoſis affectionibus.

Auditus verò *imminuitur* in βαρυηκοΐα, ſive auditûs gravitate, à cauſis ſuprà recenſitis, ſed minus efficacibus, atque adeo leviorem effectum inferentibus. Debent illis tamen adjici cauſæ duæ, quæ ſi ſurditatem perfectam nuſquam excitent, ſufficiunt inducendæ auditûs gravitati: una eſt defectus auris externæ per vulnus abſciſſæ, unde non poſſunt radii ſonori in concham ſive meatum auditorium more ſolito colligi ab expanſis in circulum cartilaginibus: huic incommodo medelam affert cucullus argenteus ſubtilis, complanatus, meatui auditorio inſertus, qui auris externæ orificium ſupplet. Altera verò eſt Euſtachianæ tubæ obſtructio, vel coalitio à qualicumque cauſa, unde ſolitum tympani cum faucibus commercium intercipitur, ex quo non uno nomine imminui debet auditionis exercitium.

Tandem *depravatur* auditus, cùm ſoni qui nulli ſunt, videntur exaudiri : id autem accidit, cùm arteriæ, per labyrinthum diſperſæ, & nervi mollioris fibrillis adjacentes, validiùs micant, & tremulas quaſſationes nervis communicant, vibrationibus ipſis ſonorificis æquipares : unde falſa & erronea ſonorum auditio ; prout autem arteriæ fortiùs vel debiliùs pulſant, hinc acutiores vel graviores ſoni videntur exaudiri, qui modò bumbi, modò tinnitus, modò echo, modò ſuſurri, modò tandem ſibili nuncupantur.

ART. III.

De læſionibus guſtûs.

GUSTUS aboletur, imminuitur, & depravatur.

Aboletur quidem, 1°. à defectu ſalivæ quæ ſapidas alimentorum particulas elicit.

2°. Ab aquoſiore aut viſcidiore ſalivæ diatheſi, ob quam extrahendis alimentorum partibus impar eſt.

3°. A mucoſa, viſcida, glutinoſa cruſta, quæ linguam obducit, arcetque corpuſculorum ſapidorum vim & energiam.

4°. A calloſa duritie, aut mollitie flaccida, papillarum lingualium, quæ proprium guſtûs ſenſorium conſtituunt.

5°. A paralyſi noni paris, quod unum tranſmittendis ad ſenſorium commune impreſſionibus ſaporiferis deſtinari credimus.

6°. A defectu ſenſûs in ipſo communi ſenſorio, qualis in apoplecticis adeſt.

Imminuitur verò guſtus ab iiſdem cauſis

cauſis, ſed quarum efficacia minor eſt, ac minori effectui quem inferunt proportione compar.

Depravatur demum, quando ſapor percipitur in alimentis, qui non eſt, vel qui diverſus eſt: ſic quandoque vinum optimum amaricare videtur: ſic mellea ſubſalſa aliquando deprehenduntur: ſic è contrà amara, ſalſa, piperata à picantibus guſtu dulciſſima percipiuntur.

Pendent hæc in genere à vitio ſalivæ, quæ variis variorum humorum guttulis inquinatur, bilis, v. g. urinæ, &c: aut diverſo & heterogeneo principiorum prædominio alteratur, ſulphuris, v. g. ſalis, &c. unde pravo, quo ipſa inficitur, ſapore, nativum ſaporem, rerum quarumcumque quæ deguſtantur, variè & vitiosè pervertit.

ART. IV.

De læſionibus Olfactûs.

OLFACTUS imminuitur, aboletur, aut depravatur.

Aboletur quidem, 1°. ob nares muco copioſo, viſcido, impactas, ut in gravedine: aut excreſcentiâ carneâ fungoſâ, ut in polypo narium, repletas: unde non patet ſolitus acceſſus aëri corpuſcula odorifera ſecum deferenti.

2°. Ob papillas nervoſas, quæ, membranæ pituitariæ interſectæ, olfactûs ſenſorium conſtituunt, muco copioſiore prætermodum laxatas & emollitas, ut in catarrho: unde admittendis miaſmatum impreſſionibus ineptæ ſunt.

3°. Ob papillas eaſdem, defectu muci, nimium calloſas, & duras: unde impreſſo ab odoris corporibus motui non obſequuntur.

4°. Ob papillas eaſdem inflammatas, eroſas, ſuppuratas, ſchirroſas, muco craſſiore obductas, unde non patent corporum odoriferorum energiæ.

5°. Ob nervos olfactorios paralyti-

cos : unde vibrationes, à corporibus odoris membranæ pituitariæ communicatæ, ad commune ſenſorium traduci non poſſunt.

6°. Tandem ob defectum ſensûs, à compreſſione, collapſu, relaxatione ſenſorii communis inductum : unde ſenſiferas nullas impreſſiones admittit.

Imminuitur verò, 1°. ab iiſdem cauſis ſuprà recenſitis, ſed minus efficacibus.

2°. A depreſſiore & planiore narium conformatione, ut in ſimis : unde difficilior eſt aëris per nares transfluxus, parciorque perinde miaſmatum odororum actio in membranam pituitariam.

Depravatur tandem biſariam, *primò* ſi fœtere videantur corpora, quæ tamen ex ſe vel non olent, vel olent ſuaviter; *ſecundò* ſi contrà ſuavis odor videatur aſpirare à ſubjectis, reverâ tamen graveolentibus. Prior depravatio pendet ab odore tetro, quo narium mucus inficitur, 1°. ex vitioſa & heterogenea principiorum proportione : 2°. ex morboſa variorum recrementorum, aut excrementitiorum, v. g. bilis,

urinæ, &c. miſcela: 3°. ex putrefactiva fermentatione, quam mucus in ſinuum cavernis diutiùs hærens ſenſim contrahit: 4°. tandem ex partium purulentarum adjunctione, quæ ab ozæna, ſive ſordido narium ulcere dimanant.

Poſterior verò unicam cauſam agnoſcit, nempe præternaturalem illam principiorum mucum conſiſtentium naturam, proprietatem, proportionem, quæ, non modò odorum graveolentiam emendet, ſed in melius commutet.

ART. V.

De læſionibus Tactûs.

TACTUS aboletur aut imminuitur tantummodo.

Aboletur quidem, 1°. ſi cutaneæ papillæ, quæ verum tactûs organum conſtituunt, ſerò prætermodum laxentur, & emolliantur, ut in œdemate, anarſarca, &c.; aut callo indurentur, ut in elephantiaſi.

2°. Si nervi cuti proſpicientes paralyſi tententur, aut commune ſenſo-

rium quomodocumque afficiatur, ut in affectibus ſæpiùs recenſitis.

Imminuitur verò, 1°. ab iiſdem cauſis, ſed levioribus.

2°. A frigore immodico, quo rigent ſenſibiles fibræ, motionis omnis ferè neſciæ.

3°. A ſtupore, quem inducit incommodus corporis ſitus, nervos venaſque premendo; hæc autem ultima cauſa videtur ad imperfectam paralyſim pertinere.

ART. ULTIMUS.

De læſionibus ſenſûs qui univerſo corpori communis eſt.

SENSUM illum univerſo corporicommunem eſſe diximus, cujus cauſâ ſingulæ totius corporis partes, internæ, externæve, dolorem pati ſolent; quem ideò à ſuprà recenſitis, quibuſcum plerumque confunditur, diſtinxiſſe placuit: tum quod ſenſationis iſtius natura à cæteris differat, tum quòd illius organum latiùs pateat, & in tota corporis compage ex æquo obvium ſit.

Cætera ſenſoria ſolerti & operoſo apparatu conſpicua ſunt : ſenſorium verò cujus ſatagimus, nullo ; ut enim partes quævis ſenſu illo polleant, ſufficit fibrarum nervearum interſperſarum diſtributio : unde fit 1°. quòd ſenſus ille eò magis vigeat, quò partium contextus magis nerveus eſt : 2°. quòd ſenſus ille in omnibus partibus mollibus vigeat, cùm in omnibus nervi abſint interſperſi.

Deſcriptus ille ſenſus vitæ conſervandæ apprimè utilis eſt, cùm de rerum afficientium commodo, aut incommodo, præſto moneat : inde igitur haud levis noxa œconomiæ naturali infertur, ſi lædatur, utì dupliciter lædi ſolet : 1°. videlicet, dum minuitur, aut aboletur : 2°. dum intenditur, & acutiùs exercetur.

Aboletur autem, aut *imminuitur* ab iiſdem cauſis, quibus tactum imminui aut aboleri modò docuimus, & quibus proinde parcimus.

Intenditur verò in dolore à cauſis quibuſcumque dolorificis, jam clarioris doctrinæ gratiâ ſigillatiùs recenſendis, ſed expoſitâ priùs doloris naturâ.

1°. Dolor itaque eſt moleſta animæ

ſenſatio ; ergo dolor excitatur à certa fibrarum cerebri oſcillatione : ſiquidem docet Phyſiologia ſenſationem quamcumque à fibrarum cerebri ſuccuſſione dependere.

2°. Moleſta ea ſenſatio animam vividè afficit ; ergò producitur à valida fibrarum ſuccuſſione ; nam alibi docuimus vividas animæ affectiones quaſvis validis fibrarum ſuccuſſionibus reſpondere.

3°. Valida quælibet fibrarum cerebri ſuccuſſio à refluxibus tantùm ſenſiferis, ſolitò vehementioribus, poteſt excitari, utì docet Phyſiologia ; ergo valida quoque ea ſuccuſſio fibrarum emporii, quæ dolorem ciet, à vehementioribus refluxibus ſenſiferis debet excitari : proinde dolor definiendus eſt moleſta animæ ſenſatio excitata à valida fibrarum cerebri ſuccuſſione, quam vehementiores refluxus ſenſiferi inferunt.

Inde ſequitur, 1°. ſolutionem continui, quidquid Antiquioribus Medicis viſum fuerit, ad doloris conceptum propriè non pertinere : (*a*) quia ſunt doloris ſpecies multæ ſine ſolutione continui, qualis inter alios eſt dolor, qui

affritu feſtucæ, vel muſcæ reptatu ſupra labra inducitur : (*b*) quia ſolutio continui, non per ſe & immediatè dolorem producere poteſt, ſed vehementi tantùm refluxu ſpirituum, quem cauſa ſolutionem moliens infert, unde ſoluta continuitas inter remotas tantùm doloris cauſas recenſenda eſt.

Sequitur 2°. dolorem à quibuſcumque cauſis induci, quæ in nervos, nerveaſque partes fortiùs agunt, atque adeò vehementiores refluxus ſollicitant, tendendo, gravando, pulſando, & pungendo : unde totidem ſunt præcipuæ, ſeu cardinales doloris differentiæ : nimirum tenſivi, gravativi, pulſativi, & pungitivi, ſive ut rectiùs dicamus, tendentis, gravantis, pulſantis & pungentis.

Primò quidem *tenſivus dolor*, quoniam adjunctum ſecum habet ſenſum diſtenſionis in parte dolente, inducitur à cauſa quavis nervos, membranaſque nerveas parti dolenti intertextas, fortiùs diſtrahente : talis eſt, 1°. diſtractio externa ab aculeo, ut in reorum tormentis : à Chirurgo artus elongante, ut in luxatione reſtituenda.

2°. Sanguinis in partem ruentis im-

petus, aut rareſcentia quæ impetui æquipollet, ut in phlegmone, eryſipelate, &c.

3°. Liquidi aquei quantitas nimia, arctâ cavitate concluſa, ut in veſica lotio diſtenta aut in hydrocele.

4°. Aëris collecti elater, aut rarefactio in cavo abdominis in tympanite, in inteſtinis in dolore colico flatulento, in ſcroto, in pneumatocele.

Cæterum tenſivus dolor, ſi tantus fuerit ut pars tenſa quaſi divellatur, divulſivus: ſi in perioſteo ita fixus, nimiuſque, ut oſſa ſubjecta confringi videantur, frangitivus, Græcè oſteocopos: ſi demum muſculis, tendinibus, ligamentis accidat, nimiis, violentis, immodicis diſtractionibus quas paſſa ſunt, laſſitudo divulſiva vocatur, qualem inter ambulandum actu experiuntur, qui itinere nimio defatigantur,

Secundò, ſimili modo *gravativus dolor*, quandoquidem cum ſenſu rei gravantis perpetuò conjunctus eſt, excitari debet à cauſa quacumque partem affectam pondere premente, v. g.

1°. Ab aqua in thorace, in abdomine in ſcroto, in artubus collecta.

2°. A fœtu grandiore intra uterum, aut vaginam; à calculo intra renes, aut veſicam concluſo, &c.

3°. Ab hepate, liene, pancreate, &c. obſtructo, ſcirrhoſo, inflammato, ſuppurato, &c. atque adeò ponderoſiore.

4°. A cruore effuſo, & extravaſato in cavitatem, partiſve contextum, aut hærente & ſtagnante in propriis vaſis.

Ad hanc autem doloris ſpeciem revocari debent, (*a*) gravativa laſſitudo quæ ab itinere feſſos detinet ſimul atque conquievere: quia tunc intra laxatum, diſtractumque muſculorum, tendinum, & ligamentorum contextum liquida copioſiùs ſtagnant & morantur; (*b*) ſtupor gravativus, qui partibus accidit, cùm nervi & venæ, quæ ipſis proſpiciunt, ſitu incommodo anguſtantur: quia tunc ſanguis à fluxu cohibitus in partibus ſpirituum penuriâ laxatis cumulatur.

Tertiò, pari de cauſa *dolor pulſativus*, cùm pulſationis, ſive alternæ ſuccuſſionis ſenſum comitem habeat, produci debet à quacumque cauſa dolentem partem pulſante, ſive alternatim ſuccutiente: talem unicam agnoſcimus, arterias nimirum dolenti parti interſperſas, quæ

poſſunt alternatâ oſcillatione partes per intervalla concutere ; verùm ut id ita ſit, duo requiruntur ; 1°. ut pars ſenſu donetur manifeſto, exquiſito ; inde eſt quòd pulſativus dolor frequens ſit in cute, membranis, cæteriſque nerveis, aut tendineis partibus : nullus verò, vel rarus in viſceribus parenchymatoſis, hepate, liene, pulmone, &c.

2°. Ut pars ultra tonum diſtenta ſit, atque adeò arteriarum vibrationi magis pateat : inde eſt quod pulſatorium dolorem dolor tenſivus ſemper præceſſerit.

Si autem, ex majore tenſione partis dolentis, aut fortiore arteriarum ſyſtole, pulſativus dolor plurimum intendatur, lancinans dicitur : quoniam pars dolens videtur per intervalla quaſi diſcindi & lancinari.

Quartò tandem *pungitivus dolor* cum ſenſu punctionis conjungitur : unde liquet illum à cauſa quacumque pungente induci : iſtiuſmodi ſunt, tum corpora quævis acuminata, ut oſſicula, ſpicula ſalium, &c. tum liquida quælibet in anguſto loco arctè concluſa, quæ, cùm in unicum veluti punctum agant,

punctionis quemdam ſenſum inferre videntur, ut in puſtularum quarumcumque eruptione.

Pungitivus autem dolor nomina varia obtinet, pro diverſis circumſtantiis: ſic 1o. perterebrans dicitur, ſi unam latiorem partem occupet, quam pungendo æquè afficiat, ac ſi terebrâ pertunderetur: id frequens eſt in furunculis ad ſuppuratum tendentibus, cùm furunculi apex, ſuppuratoriâ fermentatione, quæ intus conficitur, validè extrorſum propellitur.

2°. Formicatio appellatur, ſi punctio multiplex, varia, erratica, formicarum repentium ſenſum referat: id accidit partibus ſtupore detentis, cùm, mutato ſitu, ſpiritus denuò influunt, viaque patet regredienti ſanguini: cruore enim, qui antè parti inhærebat, jam fortiùs protruſus, nervis, nerveiſque membranis multifariam illidit, atque eas multifariam premit, ſuccutit, agitat.

3o. Denique pruriginoſus nuncupatur, ſi roſionis multiplicis, ſive prurîtûs ideam exhibeat: talis fit à ſpiculis alcalinis, aut ſalſo-acribus, par-

tis contextum multipliciter erodentibus. Si autem dolor ille levis & facilè tolerandus, pruriginoſus: ſi fortior & cum calore conjunctus, acer: ſi vehementiſſimus fuerit: mordax vocatur.

Dantur, præter memoratas quatuor doloris ſpecies quæ ſimplices ſunt, plura alia complexa, ſive complicata dolorum genera, ſed quæ ex dictis combinatione variâ reſultant, & ad quæ poſſunt facilè reſolvendo revocari.

CAPUT SECUNDUM.

De læſionibus phantaſiæ ſive imaginationis.

DOCET Phyſiologia, imaginationis exercitium deberi oſcillationi quidem fibrarum cerebri, ſed oſcillationi debiliori & languidiori, quàm ea ſit quæ ſenſationem excitat, juxta eamdem proportionis rationem, quâ ſenſatio imaginationem vividitate ſuperat: probavimus enim alibi, fibrarum cerebri vibrationes vehementia reſpondere vividitati affectionum animæ quas inferunt; itaque naturale imaginationis exercitium, cùm ſuos limites habeat, quos ultrà citraque nequit conſiſtere, tripliciter perverti poterit, 1°. ſi imminuatur prætermodum, ac tandem aboleatur. 2°. ſi augeatur & intendatur immodicè; 3°. demum, ſi depravetur, & erronea fiat.

Aboletur quidem, aut imminuitur; 1°. vitio fibrarum, ſi admittendis oſ-

cillationibus ineptæ, aut minus aptæ fiant: v. g. ſi ſero laxatæ ſint, ut in lethargo ſi ſpirituum penuriâ, aut preſſione calloſæ ſubſtantiæ collapſæ, ut in apoplexia, epilepſia, catoche, &c.; ſi prægreſſis diſtractionibus ultra tonum elongatæ ſint, ut in convaleſcentibus à phrenitide: ſi congenito vitio flaccidæ ſint, ut in ſtolidis.

2°. Vitio ſpirituum, ſi movendis fibris impares, aut minus comparati ſint, nimirum ſi refluxibus ſenſiferis minus agitentur, ut in hemiplegia, aut paraplegia: ſi oſcillatione arteriarum cerebri aut meningum minus commoveantur, ut in cachecticis, exhauſtis, languidis: ſi immodicè viſcoſi, aut ſeroſi ſint, ut in veternoſis & lethargicis.

Intenditur verò cauſis contrariis, 1°. fibrarum vitio, ſi rigeſcant, tendantur, exſiccentur, elaſticæ ſint prætermodum, adeoque nimis vibratiles, ut in maniacis, phreniticis, melancholicis, &c.

2°. Vitio ſpirituum, ſi mobiliores, ſalſiores, atque adeò ponderoſiores ſint, momentoque majori fibras impetant, ut in melancholicis; ſi vehementiùs agitentur ab aucta oſcillatione arteria-

rum cerebri, vel meningum, ut in phrenitide, mania, &c.

Tandem *depravatur* imaginatio, cùm objecta abſentia, circa quæ verſatur, repræſentat, quaſi præſentia: id autem contingit, quando fibrarum oſcillatio cui debetur, eo uſque à cauſis modò dictis intenditur, ut oſcillationem ipſam, quæ ſenſationem excitat, æquiparet, cæteraſque ideas quaſcumque, quæ errorem detegerent, motu majori obſcuret, ut in maniacis, phreniticis, &c. quotidianum eſt.

CAPUT TERTIUM.

De læſionibus Judicii.

JUDICIUM *primò* imminuitur aut abo-letur, *ſecundò* depravatur.

Imminuitur quidem aut *aboletur* ab iiſ-dem cauſis quibus imaginationem im-minui aut aboleri modò docebamus; nam ſane, ſi nullæ aut paucæ ideæ menti refricentur, nulla vel pauca ju-dicia futura eſſe conſequens eſt, qui-bus affirmatione aut negatione copu-lentur.

Depravatur verò, cùm vitioſæ & er-roneæ ideæ, diſpares affirmatione, aut compares negatione conjunguntur, quod nuſquam accidit, niſi à mutato con-naturali tono fibrarum cerebri: unde fit, ut fibræ quæ diſpares ideas exci-tant, & quæ heterochronæ eſſe debe-rent, iſochronæ evadant, adeoque affir-mativum judicium producant; illæ ve-rò, quæ compares ideas referunt, & quæ iſochronæ eſſe deberent, viciſſim

heterochronæ fiant, atque inde negativum judicium inducant; quâ perverſione liquet ideas diſpares affirmatione, & compares negatione erroneæ copulari.

Vitioſum illud judicii exercitium, ſi fiat in vigilantibus, & circa objecta omnibus cognita, delirium appellatur, quod poteſt proinde rectè definiri, vitioſum & erroneum vigilantis judicium circa objecta vulgò cognita; ſolent in genere duæ delirii ſpecies diſtingui, univerſalis nimirum, in quo omnes aut plurimæ cerebri fibræ vitiantur, quale eſt phrenitis, mania, lethargus, & ſtultitia; & particularis, in quo duæ tantùm, aut paucæ admodum fibræ pervertuntur, quale eſt melancholia.

Poteſt autem fibrarum cerebri tonus, ductâ ab inſtrumentis muſicis analogiâ, multiplici ratione perverti, 1°. ſi fibræ præter naturam areſcant ex ſiccitate, aut humore molleſcant. 2°. ſi præternaturaliter rigeſcant, aut lenteſcant: 3°. demum ſi plus æquo diſtendantur aut atonæ flacceſcant.

Inde probabile eſt, 1°. in delirio phrenetico cerebri fibras peccare, tum

præternaturali ariditate, quam à fervente ſanguine circumfluo contrahunt, tum nimiâ diſtenſione, quam ſanguis in cerebrum copioſiùs ruens, & ibi impenſiùs æſtuans ipſis infert, ſive mole, ſive rareſcentiâ.

2°. In maniaco fibras haſce rigeſcere, exſiccari, nimium diſtendi: rigeſcere quidem à craſſa lympha, quam viſcoſior ſanguis in nutrimentum ſubminiſtrat: exſiccari verò, quia ſanguis exſiccatus ſerum non ſuggerat nativæ fibrarum mollitiei conſervandæ ſufficiens: tandem diſtendi fortiùs à ſanguine, qui, terebinthinæ inſtar, exæſtuat, totamque cerebri molem prætermodum extendit.

3°. In lethargico, non modò phlegmate molliri, quo ſanguis cerebri ſubſtantiam tunc inundat, ſed ſimul atonia flacceſcere, quòd ſuperius, ut ita dicam, medullaris cerebri ſubſtantiæ tabularum ex laxitate à ſero inducta in inferius ſubſidat & collabatur.

4°. In ſtultitia, ſeu fatuitate, æquo molliores, aut rigidiores eſſe, ſive ingenito, ſive adventitio texturæ vitio: molliores quidem dum ſtolidi obſequio-

ſi ſunt, rigidiores verò, ſi maligni aut pervicaces fuerint, & ad maniam haud obſcurè propendeant.

5°. Denique in delirio melancholico, iteratis vibrationibus ſucceſſivis, quas attenta & repetita rei meditatio inducit, duas aut aliquando plures cerebri fibras, quæ diſpares ideas ex ſe exhibent, illæſis cæteris cerebri partibus, ad iſochroniam ſenſim ita perduci, ut anima, de cæteris ſane judicans, delirum tamen hac de re judicium cogatur elicere.

Sic autem fibras diſſonas, modo impreſſam ſingulis inſtantibus diſpoſitionem firmiter retineant, ad conſonantiam, ſimplici ſuccuſſione pluries repetitâ, perduci poſſe, ſuadet exemplum horologiorum pendulorum, quæ, dum diſpari modo oſcillantur, ſi certo tantùm diſtiterint intervallo, factâ hinc & inde mutuâ oſcillationum compenſatione, brevi ſolent ad amuſſim convenire.

CAPUT QUARTUM.

De læſionibus Memoriæ.

MEMORIA imminuitur & aboletur, aut depravatur.

Imminutæ quidem aut abolitæ memoriæ exempla plurima ſuppetunt : ſed inter alia celebris eſt hiſtoria ſtudioſi Monſpelienſis à *Rondeletio* relata, qui, ex vulnere capiti inflicto, ita rerum omnium oblitus eſt, ut inſtar infantium prima puerulis tradi ſolita elementa diſcere denuò neceſſe habuerit; quod ad cauſas attinet imminutæ, aut abolitæ memoriæ, notum eſt ex Phyſiologia debere ad memoriæ exercitium motu ſimultaneo ſuccuti, tum fibras quæ rem ipſam cujus recordamur, tum fibras quæ rei præteritionem denotant; fibras autem haſce motu ſimultaneo unà denuò ſuccuti, quia ex prævia motione ſimultanea cui fuere expoſitæ, diſpoſitionem ſeu flexilitatem eam acquiſiere, qua iiſdem ſpirituum rivis incurren-

tibus denuò pateant.

Inde igitur manifeſtum eſt memoriam *imminutum* aut *abolitum iri* , ſi fibræ, deletâ eâ diſpoſitione quâ invicem conſentiunt, nequeant ampliùs motu ſimultaneo ut antè ſubſultare, nec adeò reminiſcentiam refricare.

Hæc autem diſpoſitio fibris inſculpta , quæ memoriæ cauſam conſtituit, deletur multiplici modo : nimirum, ſi fibræ ſero laxentur , ut in lethargicis : ſi ſpirituum penuriâ , aut calloſæ ſubſtantiæ preſſione concidant, ut in apoplecticis , epilepticis, catalepticis, &c. ſi nimiis diſtractionibus ultra tonum elongentur , ut in phreniticis , maniacis , &c.

Depravatur verò memoriæ exercitium dupliciter; 1°. ſi quædam circumſtantiæ, quæ ad hiſtoriæ veritatem pertinent , omittantur : quod accidit , ſi fibræ quæ circumſtantias eas referunt , diverſis , imò contrariis motionibus aliorſum diſtractæ, priſtinam diſpoſitionem mutaverint ; 2°. ſi circumſtantiæ alienæ hiſtoriæ veritati intermiſceantur : quod accidit, quando ſpiritus vehementiùs moti in vicinas quaſdam fibras ſimul impin-

gunt, quas proinde in motionis ſimultaneæ conſenſum rapiunt.

Notandum tamen, expoſitas binas memoriæ depravationes, ſi leves ſint, minimè morboſas: ſed tamen in ſtatu perfectiſſimæ valetudinis quotidianas eſſe; at verò, ſi eo uſque vitium proceſſerit, ut in rebus etiam maximè ſeriis, vere momentoſis, recenter actis, erronea tantùm recordatio refricetur, inter morboſos affectus meritò annumerari.

CAPUT QUINTUM.

De læſionibus voluntatis.

VOLUNTATEM duplicem admiſimus in Phyſiologia, ſpontaneam & liberam.

Prior, ſive ſpontanea, cùm ſit paſſiva animæ affectio, à fibrarum cerebri oſcillatione excitatâ, *imminuitur*, aut *intenditur*, prout fibræ magis aut minus vibratiles ſunt; pari modo *aboletur*, ſi fibræ oſcillationi impares evadant quorum omnium cauſæ ex iis repetendæ ſunt, quæ de læſionibus phantaſiæ dicta fuere.

Poſterior verò, ſeu libera, circa duo verſatur: *primò* circa cogitata varia, inter quæ eligit: *ſecundò* circa motus voluntarios quos imperat.

Voluntas libera, quæ inter cogitata eligit, *languet* aut *aboletur*, ſi cogitata ipſamet, ex cauſis, quas antè propoſuimus, ubi de læſione imaginationis, ceſſent vel remiſſiùs excitentur; nulla enim datur electio, ſi nulla ſint objecta eligibilia:

eligibilia : neque poteſt pari de cauſa electio vividè ab anima inſtitui , cùm à propoſitis objectis ipſa ſegniter percellatur.

Voluntas verò libera quæ motus voluntarios imperat, vulgò dicitur *facultas locomotiva*, cujus exercitium, quod ſpirituum præſentiæ debetur ; variè læditur , abolitione, imminutione, depravatione.

Abolitione quidem , 1°. ſi ſit ſpirituum inopia in medullari cerebri ſubſtantia, ut in apoplexia.

2°. Si nervi, ſpiritibus devehendis dicati ad muſcularem mòtum, obſtructi, compréſſi, relaxati, eroſi, ſecti ſint, vel in ſtriata cerebri ſubſtantia, vel in calvariæ baſi, vel in quocumque longitudinis puncto, ut in paralyſi : quæ ſi partes univerſas capiti ſubjectas occupet, paraplegia : ſi dimidiam tantùm corporis partem, hemiplegia : ſi demum peculiares tantummodo partes aut artus, paralyſis particularis dicitur.

3°. Si muſculi ipſi, qui ſunt motus organa, ſecti, inflammati, ſuppurati, ſchirroſi fuerint.

4°. Demum, ſi artuum juncturæ, quâ-

cumque cauſâ coalitæ, membrorum flexionem non permittant: ut in anchyloſi.

Imminutione verò ab iiſdem cauſis, ſed quarum tanta non ſit energia.

Depravatione tandem: 1°. ſi motus imperatus, non tenore æquabili, ſed tremulis ſuccuſſionibus perficiatur: ut in tremore, in quo membrum duobus motibus contrariis movetur, uno à facultate animali ſpiritus debiliter propellente, altero à membri gravitate inſita; cùm autem motus illi, quaſi æquilibres ſint, nil mirum ſi alternis inſtantibus, & vincant & vincantur: unde tremulæ & contrariæ motitationes.

2°. Si motus, inconſultâ, vel repugnante voluntate fiat: ut in convulſione & motibus convulſivis.

Convulſio quidem, ſive ſpaſmus conſtans eſt & permanens muſculorum contractio inconſultâ vel invitâ voluntate facta: univerſalis una eſt, altera particularis: univerſalis dicitur *Emproſthotonos*, cùm muſculis anterioribus convulſis corpus antrorſum flectitur: *Opiſthotonos*, quando convulſis poſticis muſculis, corpus retrorſum incurvatur: *Tetanos*

ſeu *Partetanos* demum, ſi convulſis his & illis corpus rectà rigeat in neutram partem inclinans.

Particularis verò convulſio varia nomina obtinet, pro diverſitate partium quas occupat: ſic convulſio muſculorum oculi, ſtrabiſmus: convulſio maſſeterum, triſmos: convulſio muſculi zygomatici alterutrius, ſpaſmus cynicus: utriuſque, riſus Sardonicus: muſculorum erectorum & acceleratorum penis, Satyriaſis ſive Priapiſmus appellatur.

In genere, convulſio quælibet fit à vehementi & conſtanti ſpirituum fluxu in convulſos muſculos: hunc verò conſtantem fluxum proritant, 1°. refluxus continui è ſympathicis partibus, qui in eoſdem muſculos conſtanter determinantur: 2°. fortior arteriarum cerebri micatio, in ea parte quæ reſpondet principio nervorum parti convulſæ proſpicientium.

Motus verò convulſivus, eſt alternata muſculorum contractio, inconſultâ ſimiliter aut invitâ voluntate facta, ut ſternutatio, vomitus, oſcitatio, ſingultus, &c. pendet à vehementi, ſed alterno, ſpirituum fluxu in muſculos motu

convulſivo actos, quem producit, 1°. alternatus refluxus è ſympathicis partibus: 2°. fortior arteriarum cerebri pulſatio, ſed irregulariter alternans.

CAPUT SEXTUM.

De læſionibus quæ circa vigiliam & ſomnum contingunt.

SOMNUS, qui vigiliæ, ut quies laboribus, debet ſuccedere, vulgò ſeptem vel octo horarum ſpatio ſolet definiri in adultis, quamquam, pro temperamentorum diverſitate, quandoque brevior ſit aut protractior; itaque ſi ſtatutos limites, vel nuſquam attingat, vel tranſcendat notabiliter, hinc duplex exoritur, atque contraria œconomiæ læſio, una, cùm ſomnus brevior eſt, rariorque, adeòque vigiliæ diuturniores, & pertinaciores, quæ pervigilium, ſive agrypnia: altera, cùm ſomnus protractior & frequentior, quæ ſomnolentia ſive veternus dicitur.

Pervigilium, ut patet ex iis quæ de vigiliâ diximus in Phyſiologiâ, induci-

tur 1°. ſi ſpiritus copioſi, prompti, mobiles, ſicci, calidi, elaſtici, ſingula calloſæ ſubſtantiæ ergaſtula compleant, fibriſque tenſionem concilient nimiam; ut in orgaſmo febrili, in jejuniis protractis, in partium infimarum frigore, quo ſanguis in cerebrum uberius determinatur, &c.

2°. Si ſpiritus emporii inquilini, qualeſcumque ſint, fortiùs agantur, moveantur, concutiantur à refluxibus ſenſiferis vehementioribus, aut dolorificis quibuſcumque, à nimiâ animi contentione, aut meditatione, à pathematibus concitatis & impotentibus, &c. quorum omnium exempla nemini non ſuppetunt.

3°. Si fibræ prætermodum ſiccæ, tenſæ, elaſticæ, atque adeò motu continuo vibratiles ſint, ut in maniacis, phreniticis, febricitantibus, melancholicis, meditabundis, jejunis, &c.

Ratione verò contrariâ Veternus ſeu Somnolentia; ut liquet ex Phyſiologiâ, producitur, 1°. ab inopiâ ſpirituum qui cerebri fibras, externaque ſenſoria explicare non poſſunt; ſpiritus autem cerebro deſunt, quia deeſt ipſe ſanguis undè ſcaturiunt, ut in hæmorrhagiis immo-

dicis; quia copioſiore perſpiratione, nimiis evacuationibus, &c. exhauriuntur: quia per compreſſas corticales glandulas ſecerni nequeunt; ut in apoplexiâ, caro, comate ſomnolento, &c.

2°. A relaxatione fibrarum cerebri, ſero quo naturaliter humeſcunt inducta, undè oſcillationi minùs aptæ fiunt; fibræ autem cerebri ſero relaxantur, quia ſerum in ſanguine nimium & immodicum eſt, propter lotium retentum in iſchuriâ; propter diſſolutum ſanguinem, undè ſerum loculamentis ſuis excluditur: propter ſanguinis ſtagnationem in hydrocephalo, undè ſeri effuſio, ut in epilepticis inſultibus.

3°. A concidentiâ quæ fibris cerebri accidit ultra tonum diſtractis, tenſiſque, ſimul atque cauſa diſtrahens ceſſat: indè eſt ſomnolentia quæ maniæ, phrenitidi, orgaſmis febrilibus ſuccedit.

4°. Denique, à compreſſione cerebri undè fibræ coarctatæ flacceſcunt; cerebrum autem comprimitur, à depreſſo cranio, in fracturis: ab aquâ collectâ intra cranium, in hydrocephalo: ab exoſtoſibus interioris tabulati cranii, in lue gallicâ: à tumoribus frigidis quibuſ-

cumque, meningum, aut plexuum choroideorum alterutri ſubortis: ab apoſtematibus, ab extravaſationibus, intra cranium: à ſanguine vaſa cerebri carotica, & vertebralia prætermodum infarciente, vel copiâ ut in apoplecticis affectibus qui plethoricos invadunt, vel expanſivâ rareſcentiâ ut in iiſdem affectibus, dum ab æſtuante ſanguine dependent, vel demùm ſpiſſitudine, ut in morbis iiſdem quando ab inſpiſſato cruore fiunt.

§ II.

De læſionibus functionum vitalium.

FUNCTIONES vitales duæ tantùm numero ſunt, *Reſpiratio* & *Motio cordis*; itaque recenſendis earum læſionibus duo capita ſufficerent, ſed tertium ſubjungere placuit, quo explicarentur pulſuum differentiæ, quæ ad depravatam cordis motionem quodammodo pertinent.

CAPUT PRIMUM.

De læſionibus reſpirationis.

RESPIRATIO, quæ vitæ conſervandæ abſolutè neceſſaria eſt, trifariam læditur; *primò*, ſi difficiliùs, ægriùs, laborioſiùs exerceatur: *ſecundò*, ſi aboleatur: *tertiò*, ſi depravetur.

Difficulter & laborioſè exercetur in dyſpnœâ, causâ variâ & multiplici.

1°. Quia inſpiratorii muſculi penuriâ ſpirituum debiliùs contrahuntur, in lethargicis, moribundis, ſyncopticis: aut præ dolore, inflammatione, ecchymomate ægriùs motu aguntur in pleuritide, contuſione laterum, &c.

2°. Quia coſtarum una, vel plures fractæ, luxatæ, loco motæ, muſculorum niſui obnituntur.

3°. Quia larynx inflammatione in anginâ, conſtrictione in hyſterico affectu, tumore quocumque ſuprà & juxtà adnato, præcluditur: unde difficilior eſt aëris acceſſus in pulmones.

4°. Quia thorax aquâ in hydrope

pectoris, pure in empyemate, ſanguine in vulneribus quæ in thoracem penetrant, repletus, pulmonum expanſioni obſtat.

5°. Quia aër, per patens vulnus in thoracem intruſus, pulmonum explicationem cohibet.

6°. Quia trachæa arteria & bronchia tuberculis, apoſtematibus, inflammatione, eryſipelate, ſanguine copioſiùs irruente, aut congeſto & cumulato, premuntur & anguſtantur, ideoque aërem parciùs admittunt.

7°. Quia bronchia eadem, puris in vomicâ & in ſuppuratâ peripneumoniâ, ſanguinis in hæmoptyſi, pituitæ ſputaceæ in catharro, plena, ingreſſuro aëri minùs patent.

8°. Quia abdomen aquâ in aſcite, aëre in tympanite, inflammatis viſceribus, tumens, aut ventriculus & inteſtina cibariis, chylaceâ materia, fæcibus, flatibus, &c. diſtenta, diaphragma ſurſum repellunt, & thoracem arctant.

9°. Demùm, quia hepar, obſtructione, ſchirro, inflammatione, abſceſſu, ponderoſiùs, alternis diaphragmatis motionibus officit.

Ex memoratis dypſnoeæ ſpeciebus, quæ febre carent, ſolentque per paroxyſmos recrudeſcere, generali aſthmatis nomine deſignantur : & ſi leves, aſthma ſimpliciter : ſi verò magis intenſæ, ita ut erectâ tantummodò cervice æger reſpirare poſſit, orthopnoeæ dicuntur.

Aboletur reſpiratio in apnoeâ, à cauſis pleriſque, quibus dyſpnoeam induci diximus, ſed vehementioribus & efficacioribus, inter quas tamen cæteris frequentiores obſervantur ; 1°. vulnus aut compreſſio medullæ ſpinalis in collo, unde ſpirituum fluxus in muſculos inſpiratorios ſupprimitur, utì liquet canum exemplo, qui repente intereunt, ſi ſpina colli tranſverſim diſſecetur.

2°. Conſtrictio abſoluta laryngis, ut in ſtrangulatis : aut in ſervo barbaro, de quo GALENUS, *lib.* 2. *de motu muſculorum, cap.* 4. qui ſpiritu ſponte cohibito ſe ipſum ſtrangulavit.

3°. Subita veſicularum pulmonarium & bronchiarum oppletio à ſanguine in hæmoptyſi immodicâ, à pure in rejectione vomicæ, à pituitâ ſeroſâ in catarrho ſuffocante.

4°. Inſpiratio aëris, effluviis minera-

libus, venenatis, arſenicalibus, gravidi, ut in animalibus quæ in famoſum Regni Neapolitani antrum (*grotta del cane* dictum) ducuntur; modò illa eorum non ſit corporis ſtatura quæ trium pedum menſuram exſuperet: in iis qui in puteos diù clauſos illicò dimittuntur: aut qui cameram vapore carbonis lignei vel foſſilis plenam ingrediuntur, &c. ſive quòd effluvia illa ſanguinem per pulmones circulantem ſubitò coagulent: ſive quòd irritando & lancinando interiora pulmonum, ſubitaneam & abſolutam laryngis, bronchiorum, & pulmonaris contextus conſtrictionem ſympathicè proritent; his adjici poteſt convulſiva muſculorum laryngeorum, & diaphragmatis contractio, quæ hyſtericis & hypochondriacis familiaris eſt, ſed quæ apnœam, tantùm apparentem, plerumque infert.

Tandem Reſpiratio *depravatur*, dum vitioſè & alio quàm par eſt modo exercetur, in tuſſi, riſu, ſuſpirio, ſingultu, oſcitatione, ſternutatione.

Tuſſis eſt valida, concitata per ſucceſſivas concuſſiones facta expiratio: producitur à vehementi, ſed per iteratas vices aucta, muſculorum expirato-

riorum contractione, quam infert ſpirituum fluxus vehemens, per vices intenſus, ab irritatis, punctis, ſuccuſſis trachæâ arteriâ, vel bronchiis, ſympathicè productus.

Riſus eſt expiratio diuturna, non uno tenore, ſed citiſſimis, minimis, alternis concuſſionibus confecta, cum adjunctâ muſculorum faciei contractione certâ & conveniente: fit à ſpiritibus in organa expiratoria, muſculoſque faciei, iterato ſubſultu, influentibus, ex pathemate v. g. gaudio, irriſione, &c. aut ex partium titillatu.

Suſpirium eſt lenta, protracta, per gradus expiratio, creſcens cum ſibilo, quem laryngis coarctatio producit; fit autem à ſpirituum fluxu in muſculos laryngeos & expiratorios per gradus creſcente, quem proritat pathema triſtitiæ, mœroris, &c. vel ſympathicus refluxus à pulmonibus ſanguine gravatis.

Singultus eſt concitata & ſubitanea inſpiratio, exſpirationi nondum finitæ ſuperveniens, cum ſibilo, ſeu ſono ab arctatâ laryngis rimâ; fit à vehementi, concitatâ, convulſivâ muſculorum laryngeorum & diaphragmatis contractio-

ne, quam infert refluxus ſympathicus, ab irritato, puncto, diſtracto, laceſſito orificio ſuperiore ventriculi.

Oſcitatio eſt magna, protracta, gradaria, inſpiratio, ore patulo, & cum notabili coſtarum diductione facta; producitur à lentâ, magnâ, gradariâ muſculorum inſpiratoriorum & maxillam deprimentium contractione, convenienter ad ſympathicum refluxum à pulmonibus hærente & cumulato ſanguine preſſis, diſtractis, gravatis.

Tandem *ſternutatio* eſt magna, vehemens, ſonora exſpiratio per nares facta, magnæ & validæ inſpirationi ſuccedens; fit ab influxu ſympathico in exſpiratoria organa, muſculoſque uvulæ aëris egreſſum dirigentis, quem provocat irritatio, punctio, vellicatio, &c. membranæ pituitariæ nares intus veſtientis.

CAPUT SECUNDUM.

De læſionibus motionis cordis.

COR, princeps humani corporis machina, irrequietè dyaſtoles & ſyſtoles alternatione vitam perennat; ſi motus ejus intra certos limites conſiſtat, ſi naturali lege regatur, omnia rectè proſperèque ſuccedunt in corpore: ſi ſecùs, multiplex advenit œconomiæ naturalis perverſio.

Conſtat autem cordis motum trifariam lædi; *primò*, cùm imminuitur & aboletur: *ſecundò*, cùm intenditur: *tertiò*, cùm depravatur, & alió quàm par eſt modo exercetur.

Cordis autem motus *imminuitur*, 1°. dum minor: 2°. dum debilior: 3°. dum tardior: 4°. dùm rarior eſt.

Minor eſt (*a*) ſi ſpiritus à cerebello minori quantitate influant, ut cum cerebro pauci inſunt: ut in ſyncopticis, hyſtericis, &c. (*b*) ſi ſanguis quantitate paucus, craſſus, & circulatorio motu lentè actus, aquoſus, diſſolutus & parùm

actuoſus cordis ſinubus offeratur, parvamque adeò contractionem & dilatationem ſollicitet.

Debilior eſt, (*a*) ſi ſpiritus debili impetu fluant ad cor, ut cùm arteriæ cerebri languidiùs micant & debiliùs in iiſdem caſibus: (*b*) ſi ſanguis paucus, lentè motus, parùm actuoſus, debili niſu, motum cordis cieat.

Tardior eſt, (*a*) ſi ſpiritus lento gradu influant ex cauſis ſimilibus; (*b*) ſi ſanguis parcus, languidè motus, tardè accedens ad cor, minores ejus actiones provocet.

Denique rarior eſt, (*a*) ſi ſpirituum influxus rari ſint: (*b*) ſi ſanguis ad cor eâ quâ expedit quantitate raró accedat.

Illa veró cordis motûs imminutio varia ſortitur nomina, pro diverſo intenſionis gradu; primò quidem, ſi ita levis ſit, ut palleat facies tantummodò, ſenſu, motu, calore vigentibus, ecclipſis: ſi major, cum virium collapſu & corporis refrigeratione conjuncta ſit, manente tamen rerum ſenſu, leipothymia, leipopſuchia: ſi maxima, cum ſudore frigido, & cum abſolutâ ferè motûs, ſenſûs, caloris abolitione, ſyncope; ſi de-

mum hæc omnia deleta mortis imaginem referant, aſphyxia dicitur, quæ eſt proximus ad mortem gradus.

Solent autem propoſita animi deliquia ſubitò invadere: 1°. ſi ſolitus ſanguinis à dextro in ſiniſtrum ventriculum commeatus, per medios pulmones, ſupprimatur, aut immodicè minuatur: ut accidit auctâ ſanguinis ſpiſſitudine, vel rareſcentiâ, aut ex conſtricto pulmonari contextu à refluxibus quibuſcumque ſympathicis. 2°. Si ſpiritus ubertim & continuò in cordis fibras detruſi, à refluxu ſympathico qualicumque, illius contractionem diutiùs continuent, ſolitæque ſyſtoles & dyaſtoles alternationi obnitantur.

Pari ratione motus cordis quadrifariam *intenditur*, 1°. ſi major: 2°. ſi vehementior: 3°. ſi celerior: 4°. ſi frequentior ſit.

Major eſt, (*a*) quia ſpiritus, qui cerebello inſunt, copioſi, prompti, mobiles, magnâ copiâ cordi influunt, ut in febricitantibus; (*b*) quia ſanguis copiâ multus, rareſcens æſtu, impensè actuoſus, magnas cordis diaſtoles, ideòque compares ſyſtoles provocat.

Vehementior eſt, (*a*) quia ſpiritus à tenſis, elaſticis, vibratilibus cerebri fibris, aut ab arteriis & meningibus fortiùs oſcillantibus, majori impetu in cor propelluntur; (*b*) quia ſanguis multus, æſtuans, ſummo niſu cordis ſinus dilatat, ſimileſque contractiones ſollicitat.

Celerior eſt, (*a*) quia ſpiritus motu celeriore influunt ex dictis cauſis: (*b*) quia ſanguis liberiùs fluens citatiores cordis dilatationes & contractiones producit.

Demum *frequentior* eſt, (*a*) quia ſpiritus frequentiùs cordi offeruntur: (*b*) quia ſanguis fluxilior in corde frequentiùs admittitur.

Ex ſuprà dictis facilè colligitur, parvam cordis motionem cum debili, tardam cum rarâ, magnam cum vehementi, ac frequentem cum celeri plerumque conjungendam & copulandam eſſe ex cauſarum ſimilitudine & analogiâ.

Tandem *depravatur* cordis motio, 1°. ſi valido, ſed fruſtraneo, niſu incœpta, non compleatur, ut in palpitatione, 2°. ſi inæqualiter fiat.

Primò, cor palpitat, vel in auriculis, vel in ventriculis: in auriculis quidem,

quia totus ſanguis, qui ipſis ineſt collectus, nequit à ſubjectis ventriculis excipi: ut ſi inflammentur carnei parietes: ſi oppleatur illorum cavitas lapidibus, tuberculis, polypis: ſi conſtringantur pericardio inflammato, aquâ, flatu, ſanguine, vermibus, prætermodum diſtento: unde auriculæ inani niſu contractionem moliuntur. In ventriculis verò, quia pari de causâ ſanguis, qui ventriculis illapſus eſt, non poteſt totus admitti ab arteriis appenſis, nimirum pulmonari aut aortâ: ut ſi concretionibus polypoſis, aut enatis tuberculis anguſtentur: ſi apoſtematibus, inflammatione, ſarcomatibus comprimantur: ſi baſi oſſeâ coarctentur: ſi pulmonaris ſubſtantia conſtricta, inflammata, cruore turgida, commeatum deneget: quæ omnia vim cordis contractivam poſſunt irritam reddere.

Secundò, motio cordis inæqualis eſt, vel in unâ qualibet pulſatione, vel in pluribus unà collectis; quæ inæqualitas collectiva vel ſyſtematica appellatur.

Cordis motio ſingulariter inæqualis eſt, cùm in unâ eâdem contractione, principium, medium & finis, magnitudine,

celeritate, vehementiâ ſibi non correſpondeant: id pendet (*a*) ab inæquali ſpirituum fluxu in cor, qui licèt continuus ſit, copiâ, impetu, celeritate, variè variat, pro variâ ſecretionis libertate in corticali ſubſtantiâ, pro diversâ cauſarum moventium energiâ, pro tumultuariis animi pathematibus; (*b*) à reſiſtentiâ ſanguini à corde exiturienti objectâ, quæ variè creſcat, aut decreſcat: hæc autem reſiſtentia variat, à variis cauſis inducta circa cordis, aut majorum vaſorum confinia, ut in pulmonum ſubſtantiâ.

Motio cordis collectivè inæqualis eſt, cùm plures contractiones ſucceſſivè collectæ, magnitudine, vehementiâ, celeritate, frequentiâ variant; id accidit à cauſis quibus inæqualitatem ſingularem induci diximus, ſed levioribus: quæque adeò, non in ſingularem motionem, ſed in plurium motionum ſyſtema vim exerant.

Si cordis pulſatio in magnitudine & vehementiâ inæqualis ſit ſyſtematicè, hoc eſt, ſi poſt pulſationes aliquot æquabiles, nova fiat pulſatio, magnitudine & vehementiâ minor, dicitur intermittens:

ſi verò in frequentiâ inæqualis fuerit ſyſtematicè, id eſt, ſi pulſationibus aliquot æquabili intervallo recurrentibus, nova ſuccedat pulſatio intervallo longiore, dicitur interrupta.

CAPUT TERTIUM.

De differentiis Pulſuum.

PULSUS eſt cordis & arteriarum motus diaſtole & ſyſtole alternus: pulſus ergo cordi & arteriis perinde communis eſt, & in corde & arteriis, alternis contractionibus & dilatationibus, perinde conficitur, non tamen utrinque ſimultaneis, ſed reciprocis; certa enim docet experientia, cordis ſyſtolem diaſtole arteriarum, & diaſtolem cordis arteriarum ſyſtole æquitemporaneam eſſe, ſive ſynchronam. Verùm quamquam pulſus ad cor & ad arterias æquè pertineat, quoniam tamen ſolet in iſtis faciliùs explorari, uſu inde factum eſt, ut, quaſi ſolis arteriis proprius eſſet, in iis ſigillatim conſideretur: quinimo quamquam pulſus arteriarum dilatatione & contractione

conſtet, quoniam ſola pulſantis arteriæ dilatatio à palpante & ſuperpoſito digito ſentitur, latetque ſubterfugientis contractio, hinc quoque factum eſt, ut, in tradendis pulſuum differentiis, ſolius arteriarum dilatationis ratio habeatur; itaque totuplices futuræ ſunt pulſuum differentiæ, quotuplices in arteriarum dilatatione variationes obſervantur, quæ, quamvis numeroſæ, diverſæ & diſcrepantes ſint, attamen à quatuor ſequentibus cauſis neceſſariò dependent.

1°. A diversâ cordis contractione, tanquam à causâ efficiente, ſive principali: ſic pulſus magnus magnam, parvus parvam cordis ſyſtolem plerumque ſequitur.

2°. A diversâ ſanguinis diatheſi, tanquam à causâ adjuvante: ſic ſanguis craſſus & impensè æſtuans, arterias diſtendendo, pulſum durum & plenum: ſanguis verò tenuis & diſſolutus ratione contrariâ pulſum mollem & rarum producit.

3°. A diversâ circulandi libertate, tanquam à conditione, ſive causâ ſine quâ non: ſic ſi circulatio integra ſit, pulſus facilis, æqualis, expeditus eſt; contrà

verò, inæqualis & variè interruptus, ſi circulandi facilitas intercludatur.

4°. A diversâ arteriæ diſpoſitione, tanquam à causâ arteriæ dilatationem modificante: ſic pulſus durus eſt, ſi arteriarum tunicæ tenſæ & elaſticæ ſint: mollis verò, ſi laxæ & flaccidæ. Ab hac ultimâ causâ pulſus ſerratus deducendus eſt, qui ab inæquali fibrarum annularium arteriam cingentium contractione dependet.

Ad quatuor hæc ſummaria cauſarum genera, quæ in multiplices cauſarum particularium varietates diſtribuuntur, ceu ad proprios fontes revocandæ ſunt ſingulæ quæque pulſuum *differentiæ*, quæ ſequuntur.

Prima petitur à qualitate, ſive magnitudine dilatationis arteriarum: hinc pulſus magnus, ſi magna, parvus verò dicitur, ſi parva fuerit dilatatio. Magna autem eſt arteriarum dilatatio, 1°. ſi magna ſit cordis contractio, ſanguiniſque circulatio facilis ſimul & expedita; 2°. ſi plethorica adſit ſanguinis quantitas. Parva contrà, ſi vel parva fiat cordis ſyſtole, vel paucus ſanguis vaſis inſit, vel circulatio quadamtenus præcluſa

ſit : ut v. g. in cordis palpitatione in quâ parvus eſt pulſus, licèt magnâ vi cor contrahatur, quia circulationis viæ non ſunt liberè perviæ.

Secunda ducitur à vehementiâ dilatationis : inde ſi dilatata arteria palpantem digitum validè feriat, vehemens, ſive validus : ſi debiliter & languidè, debilis & languidus pulſus appellatur. Dilatatio autem vehemens fit, 1°. à validâ cordis ſyſtole ; 2°. à redundante cruoris copiâ; 3°, à ſummâ ſanguinis rareſcentiâ, potiſſimùm ſi ſimul craſſus & gummoſus ſit, ut in maniacis. Languida verò dilatatio fit, 1°. à languidâ cordis contractione ; 2°. ab imminuto ſanguinis orgaſmo; 3°. à nimiâ ſanguinis aquoſitate & fluxilitate ; 4°. à ſanguinis penuriâ.

Tertia ſumitur à celeritate dilatationis; ſic ſi arteria celeriter dilatetur, celer :. ſi tardè, tardus pulſus dicitur. Celer autem arteriæ dilatatio producitur à celeri cordis contractione, concurrente unâ facili ſanguinis diſtributione ope circulationis : quod vaſa libera & mobilem ſanguinem ſupponit. Tarda contrà à tardâ cordis ſyſtole inducitur, maximè ſi circulatio, ſanguinis vel vaſorum vitio, lentiùs procedat. *Quarta*

Quarta deducitur à dilatationum frequentiâ ; ſi enim dilatationes brevi intervallo, adeòque frequenter recurrant, pulſus frequens : ſi longo temporis tantùm ſpatio, atque adeò raró redeant, rarus appellatur. Arteriarum autem dilatationes frequentes ſunt, 1°, ſi cordis contractio frequens ſit ; 2°. ſi ſanguis copiâ abundaverit ; 3°. ſi circulatio prompta, facilis, expedita fuerit. Raræ verò futuræ ſunt propter contrarias cauſas.

Propoſitæ pulſuum differentiæ, quæ potiſſimæ ſunt, facilè poſſunt multifariam conjungi & combinari ex cauſarum, à quibus dependent, analogiâ ; 1°. quidem binæ ſimul, ut ſi pulſus magnus & validus, celer & frequens, parvus & debilis, tardus & rarus : vel magnus & debilis, parvus & vehemens, celer & rarus, tardus & frequens fuerit ; 2°. ternæ, ut ſi pulſus magnus, validus & celer : magnus, validus & frequens : parvus, debilis & rarus ſit ; 3°. quaternæ, ut ſi pulſus magnus, vehemens, celer & frequens fuerit, &c.

Quinta differentia repetitur ab arteriarum ſeſe dilatantium renitentiâ, quæ ſi magna fuerit, quaſi duro corpore ar-

teria repleretur, pulſus durus: ſi parva, pulſus mollis nuncupatur. Pulſus durus fit à ſyſtole cordis validâ & celeri, ab æſtuosâ ſanguinis rareſcentiâ, ab elaſticitate & tenſione tunicarum arteriarum, à copiâ & ſpiſſitudine cruoris per vaſorum capillamenta difficiliùs traducti, & ideò in majoribus truncis diutiùs hærentis. Pulſus verò mollis fit à contrariis cauſis, vel diſcretis, vel pluribus unà concurrentibus.

Sexta trahitur ab apparente arteriarum dilatatarum plenitudine, aut vacuitate; ſi enim ita turgeat arteria, ut humore plena & diſtenta videatur, pulſus plenus: ſi contrà mollis arteria ſolo flatu diſtenta videatur, pulſus vacuus dicitur. Pulſus plenus cum duro, & vacuus cum molli, tum naturâ, tum causâ conveniunt, differuntque tantummodò majori minorive tenſione, ut facilè liquet attendenti.

Septima differentia ducitur ab æqualitate aut inæqualitate pulſationum: ſi æquales, æqualis; ſi inæquales fuerint, pulſus inæqualis erit. Hæc autem æqualitas, vel in unâ quâlibet ſingulari pulſatione conſideratur, ut ſi initium, me-

dium, finis pulſationis ſibi invicem correſpondeant, & tunc pulſus dicitur æqualis ſingulariter: vel in pulſationum multitudine, collectione, & ſyſtemate, quæ frequentiâ, magnitudine, raritate, vehementiâ conveniant, & tunc pulſus dicitur æqualis collectivè, ſive ſyſtematicè. Utraque pulsûs æqualitas pendet ab æquabili ſpirituum fluxu; ab æquabili organorum pulſantium, cordis nimirum & arteriarum motu, flexilitate: ab æquabili, expeditâ, liberâ circulatione: ab æquali, uniformi ſanguinis craſi, &c.

Pari modo inæqualitas in pulſu duplex obſervatur, vel in unâ ſingulari qualibet pulſatione, & inde pulſus inæqualis ſingulariter: vel in pulſationum multitudine & ſyſtemate, & hinc pulſus inæqualis collectivè vel ſyſtematicè appellatur. Dependet utraque inæqualitas à cauſis planè contrariis, à quibus æqualitatem induci diximus: eo tamen diſcrimine, quod ad pulsûs æqualitatem, ſimultanea cauſarum omnium recenſitarum ſyndrome requiratur: ſufficiat verò ad inæqualitatem defectus quilibet, juxtà axioma, Rectum à cauſæ

integritate, vitium verò à quocumque defectu produci.

Pulſus autem inæqualis varias differentiarum ſpecies ſub ſe complectitur, quas retuliſſe ſuffecerit; itaque pulſus ſingulariter inæqualis multiplex diſtinguitur: 1°. undoſus, in quo arteriæ partes, undatim fluctuum inſtar ſeſe attollentium diſtenduntur: 2°. vermicularis, qui parvus, frequens, languidus, vermium greſſui ſimilis, & undoſo minor eſt. 3°. Formicans, qui multis motibus abolitis, minimus, languidiſſimus, frequentiſſimus eſt, reptatui formicarum ſimilis, à verrniculari tantùm deficiens, quantùm vermicularis ab undoſo; hic pulſus rudes fugit, nullum tunc eſſe arbitrantes. 4°. Vibrans, in quo magna & valida fit arteriarum diaſtole, quæ digitos explorantes jaculorum inſtar validè & celeriter emiſſorum feriunt: hic pulſus à vehementi & celeri unà coincidentibus vix differt. 5°. Serratus, in quo arteria, ſerræ inſtar, digitos ferit, partibus aliis magis diſtentis, aliis minùs eodem tempore. 6°. Impariter velox ſive celer, qui à velocitate quæ

initio dilatationis obſervatur, tranſit in tarditatem : aut vice versâ, à tarditate in velocitatem. 7°. Impariter vehemens, qui ſimiliter à vehementiâ tranſit in languiditatem, aut vice versâ : ultimi duo pulſus dicuntur quoque impariter incitati. 8°. Intercifus, in quo dilatatio, interjectâ levi morulâ, ſive quiete, ita interrumpitur, ut pro unicâ qualibet contractione duæ videantur diſtinctæ dilatationes, ille ſubdividitur in dicrotum ſive bisferientem, & in caprizantem : dicrotos dicitur ſi poſterior dilatatio priore levior & minor, caprizans verò ſi major & vehementior fuerit.

Pulſus quoque collectivè inæqualis, varius eſt : 1°. Intermittens, in quo non ſolùm poſt unam, ſed plures etiam magnas pulſationes, una minor apparet, atque interdum in totum aboletur. 2°. Intercadens, intermittenti contrarius, in quo loco expectatæ quietis, in mediâ ſyſtole, nova dilatatio, non expectata, inter duas expectatas intercidit, velut ſupervacanea. 3°. Myurus, ſive proportionaliter decreſcens, in quo primo ſecundus, ſecundo tertius, tertio pulſu quartus minor eſt : duplex eſt unus

myurus deficiens, qui non ceſſat decreſcere & minui, donec omninò aboleatur, & ad aſphyxiam perveniat: alter myurus reciprocus, qui ad priſtinam magnitudinem revertitur, poſtquam ad certum gradum decrevit.

Octava differentia repetitur ab ordine pulſationum penes magnitudinem, vehementiam, velocitatem, frequentiam, &c. inde ſi pulſationes certo ordine ſibi reſpondeant, ſingulæ ſingulis, vel ſingulæ pulſuum periodi periodis ſingulis, pulſus ordinatus: ſi verò nullum, nequidem in circuitibus, ordinem ſervaverint, pulſus inordinatus dicetur.

Nona demum differentia ducitur à rythmo; rythmus autem, apud Antiquos, dicebatur proportio quæ inter diaſtolem & ſyſtolem ſequentem, aut inter quietem ſupernam quæ in diaſtole, & infernam quæ in ſyſtole fit: aut inter diaſtolem unam & alteram, aut denique inter diaſtolem cum ſuâ quiete & ſyſtolem ſubſequentem cum ipſius quiete ratione temporis intercedit. Si pulſus rythmum teneat, ætati, ſexui, temperamento, &c. proprium, eurythmus: ſi verò rythmum non ſervaverit, arryth-

mus appellatur ; diſtinguitur ultimus in parrarythmum, qui rythmum vicinæ ætatis, ſexûs, temporis, anni, &c. ſervat : heterorythmum, qui rythmum remotioris cujuſdam ætatis, naturæ, temporis, anni, &c. mutuatur & enrythmum, qui nullius ætatis, ſexûs, tempeſtatis rythmum tenet.

Poſtremas haſce pulſuum differentias obiter recenſuimus, ſuppreſsâ earumdem causâ, quam curioſorum indagini permittimus, quibus lubuerit in illâ inquiſitione tempus conterere : eas enim in praxi parùm utiles, imò pleraſque, neque obſervatas, neque obſervabiles arbitramur : novimus quidem GALENUM & PAULUM ÆGINETAM harum omnium auctores eſſe ; ſed GALENUM & PAULUM ÆGINETAM in illis ſigillatim diſtinguendis otio abuſos fuiſſe non veremur aſſerere. Licebit tamen maturioribus ſtudiis, expendere ea quæ de variis criticis pulſibus obſervando nuperrimi Authores conſcripſêre. Sed iis nunc ſuperſedendum, cùm ad Elementa non pertineant.

§ III.

De functionibus naturaliter læſis.

FUNCTIONUM naturalium aliæ conſervando individuo, aliæ propagandæ ſpeciei deſtinantur : quapropter paragraphum hunc, quo varias earumdem læſiones explicare decrevimus, in duos pariter articulos diſtinguere conveniens eſt, quorum *priore* de læſionibus functionum naturalium quæ conſervando individuo utiles ſunt : *poſteriore* verò de læſionibus functionum, quæ ſunt propagandæ ſpeciei neceſſariæ, agemus.

ART. I.

De læſionibus functionum naturalium quæ conſervando individuo utiles ſunt.

FUNCTIONES illæ multiplices ſunt, 1°. appetitus cibi & potûs, ſeu fames & ſitis : 2°. cibariorum maſticatio & deglutitio : 3°. coctio alimentorum & chylifi-

catio : 4°. chyli ſecretio à fæcibus, & ſecreti in ſubclaviam ſiniſtri lateris propulſio : 5°. chyli converſio in ſanguinem, ſeu hæmatoſis & generatio humorum ſecundariorum : 6°. nutritio : 7°. fæcum alvinarum dejectio : ultimò, urinæ mictio ; quarum ſingularum læſiones ſingulas ſequentibus capitibus ſingulatim examinabimus.

CAPUT PRIMUM.

De læſionibus famis & ſitis.

FAMES imminuitur, aboletur, intenditur, & depravatur.

Imminuitur quidem in dyſorexiâ, 1°. quia deeſt ſolita fermenti ſtomachalis copia, propter defectum ſanguinis, ut poſt hæmorrhagiam : propter immoderatas quaſcumque evacuationes, ut in ptyaliſmo, diabete, ſudatione nimiâ, &c. quibus exhauritur : propter obſtructum, compreſſum, impervium organum ipſius ſecretorium.

2°. Quia fermentum, quod ſecernitur, vitioſum eſt, ac appetitui ciendo ferè impar, exuperantia ſeri quod ſalis ſpicula nimis diluit, craſſitudine nimiâ quæ ſalia nimis caſtrat, præternaturali bilis miſcelâ, &c.

3°. Quia fermentum, quod in ventriculum confluit, coinquinatur ac corrumpitur potu nimio, quo vappeſcit, ut in potatoribus obſervatur : putridis, craſſis, mucidis alimentorum reliquiis,

aut cacochyliâ, quæ prægreſſa digeſtionum vitia cumulavêre.

4°. Demum, quia ventriculi contextus, diſtractione laxatus, ſolito ſpirituum fluxu orbatus, aut ſero, quo præternaturam imbuitur, emollitus, ſenſiferis cauſis, quæ famem excitant, remiſſiùs patet.

Aboletur fames in anorexiâ, ſeu inappetentiâ; 1°. vitiis fermentorum digeſtivorum, iis quæ retulimus, congeneribus quidem naturâ, ſed intenſione & energiâ majoribus & gravioribus.

2°. Vitio ventriculi, ſi calloſus, œdematodes, paralyticus fit, atque adeò ſenſiferæ famis motioni admittendæ ineptus ſit.

Intenditur fames in bulimo & fame caninâ, ſive lupinâ, quando digeſtivum fermentum, pungendo, vellicando, laceſſendo ventriculo immodicè comparatum eſt, quantitate, acredine, mole, craſſitie, extricatione nimiâ ſalinarum particularum, quas continet, & quibus ſuam efficaciam debet. Fames autem, quomodocumque intenſa, ſi vomitu ſtipetur, fames canina: ſi diarrhœâ, lupina: ſi ſyncope aut leipothymiâ, bou-

limos : ſi demum, citra quodvis grave ſymptoma, comeſta ſatis feliciter concoquantur, fames ſimpliciter aucta nuncupatur.

Tandem fames depravatur, 1°. in ciborum faſtidio, ſeu apoſitiâ, cùm cibaria, quorum vulgò uſus eſt, odio habentur & reſpuuntur : quod debetur vitioſo ſapori, quo ſaliva inficitur, & quo alimenta aſſueta maſticatione inficit : unde hæc ingrato ſenſu, quem linguæ papillis inferunt, ſuî averſationem neceſſariò excitant.

2°. In Picâ & Malaciâ, cùm res abſurdæ, pravæ, inuſitatæ expetuntur avidè, & cum gratâ voluptate devorantur : quod pari ratione referendum eſt in vitioſum ſaporem ſalivæ, quem abſurda edulia iſtiuſmodi corrigunt, mutant, aut caſtrant, mitigantque : unde avida illorum appetitio.

Cæterùm notaſſe haud abs re erit tres priores læſæ famis ſpecies, imminutæ nimirùm, abolitæ, & intenſæ, à proprio fermenti ſtomachalis aut ſtomachi vitio; poſtremam verò, depravatæ ſcilicet famis læſionem, à vitiatâ ſalivalis fluidi quantitate dependere. Verùm cùm hæc

ambo fluida naturâ, proprietate, energiâ apprimè conveniant, inde eſt quòd cibi faſtidium inappetentiam, & pica atque malacia dyſorexiam tam frequenter comitentur vel ſequantur.

Quas fames, eaſdem læſiones *ſitis* ipſa patitur: imminuitur nempe, aboletur, intenditur & depravatur.

Imminuitur quidem, imò ingraveſcente morbo aboletur: 1°. ſi ſaliva, humorque imas fauces alluens, pauca, tenuia, ſubacida ſalia contineat, quibus imas fauces, quæ ſunt ſitis ſenſorium, parùm aut nihil afficiat.

2°. Si ſaliva, humorque jam dictus, præter modum aquei ſint, ut in ſuppreſſione ſolitæ evacuationis ſeroſæ, atque adeò imas fauces humectent & emolliant.

3°. Si imæ fauces, callo, œdemate, paralyſi tententur, unde ſitiferæ impreſſioni admittendæ impares fiant: aut ſi mens, delirio aliò avocata, motionem ſitiferam non advertat, ut in phreneticis, maniacis, &c.

Intenditur verò cauſis è directo contrariis, quibus ideò conſultò ſuperſedimus.

Depravatur tandem, ut fames, duplici ratione, 1°. ſi aſſueta potulenta, ut ingrata, rejiciantur : 2°. ſi abſurda, ut omphacium, acetum, muria, &c. expetantur : quod utrumque ab iiſdem cauſis dependet, ac cibi faſtidium, aut pica & malacia ad quæ pertinent.

CAPUT SECUNDUM.

De læſis Maſticatione & Deglutitione.

DUO ſunt læſæ maſticationis ſpecies, imminutio & abolitio : *maſticatio* enim *imminuitur*, imò, creſcentibus cauſis, *aboletur* ; 1°. ſi dentes carioſi, putridi, confracti ſint : ſi evulſi deficiant : ſi mobiles vacillent, adeòque alimenta malè conterant & attenuent, ut in ſenibus, edentatis, &c.

2°. Si muſculi manſorii, qui movendæ maxillæ inferiori vacant, inflammatione, vulnere, ſuppuratione, ulcere, dolore rheumatico, &c. affecti, motum ægrè exerceant.

3°. Si mandibulæ, cicatricibus inductis coalitæ, difficulter diducantur & explicentur, ut in illis qui à ptyaliſmo malè ſe habent.

4°. Si muſculi buccinatores, qui genas intus veſtiunt, laxati, diſtracti, paralytici, movendis & agitandis cibariis impares ſint : ut in paraplegiâ affectis.

5°. Si lingua œdematoſa, inflam-

mata, decurtata, paralytica, &c. cibos hac & illac ſuſque deque volutare non poſſit ad perfectam attritionem.

6°. Denique, ſi ſalivalis humor, quo maſticata alimenta diluuntur & lubricantur, copiâ imminuatur aut deficiat.

Deglutitio verò trifariam læditur, imminutione, abolitione & depravatione.

Imminuitur aut *aboletur*; 1°. vitio linguæ, quæ, paralytica, decurtata, inflammata, non poteſt maſticatos cibos ad fauces deducere, ut deglutitionem ſollicitent: id in ptyaliſmo obſervatur, dum lingua tumet.

2°. Vitio imarum faucium, quæ, paralyticæ, ſpiritibus orbæ, œdematoſæ, &c. à cibariis ad has provolutis affici non poſſunt, ut ad deglutitionis opus excitentur: id in apoplecticis, caroticis, &c. experimur quotidie.

3°. Vitio muſculorum ſtylopharyngæi, ſphænopharyngæi & cephalopharyngæi, qui, inflammati, vel paralytici, ſolito dilatandæ pharyngis officio defungi non poſſunt.

4°. Vitio pharyngis ipſius, quæ, calloſa, inflammata, ulcerata, extrinſecùs tumore, vertebris colli luxatis, inflatis

tonſillis, convulſo œſophageo muſculo, &c. conſtricta, interiùs verò areſacta & exſucca, detruſa cibaria, vel non admittit, vel ægrè per viam non lubricatam admittit. Poſtremas has duas imminutæ deglutitionis ſpecies obſervare eſt in anginâ, aut in illis quibus fauces ſitibundæ exareſcunt.

Deglutitio tandem *depravatur*, cùm erroneè fit: ut dum uvula tumens, elongata, propendens, affrictu repetito fauces titillat, cietque refluxus ſympathicos in muſculos pharyngem dilatantes, unde deglutitionis mechaniſmus perinde exercetur, ac ſi cibi buccella pharyngi perpetuò proſtaret deglutienda, ſed irrito prorsùs & fruſtaneo conatu.

CAPUT TERTIUM.

De læſis Coctione & Chyloſi.

Cibariorum concoctio quadrifariam læditur, abolita, imminuta, intenſa & depravata.

Aboletur autem in apepſiâ, quia digeſtiva fermenta deficiunt, aut quia vappida, effœta, aquoſa, craſſa, pituitoſa ſunt.

Imminuitur verò in bradypepſiâ, in quâ tardior, lentiorque eſt, 1°. vitio fermentorum, quæ pauca, aquoſa, craſſa ſunt, adeòque parùm actuoſa.

2°. Vitio cibariorum, quæ dura, coriacea, dyſpepta, acida, terrea ſunt, adeòque fermentorum energiæ difficiliùs obſequuntur.

3°. Vitio rerum externarum, & adjunctorum, ut ſi ſomnolentia, triſtitia, meditatio, ſtudium, coctionis celeritatem retardent.

Intenditur cùm naturali major, celeriorque eſt, ac eſſentiales ciborum

partes nimis extricat, quod accidit.

1°. Vitio fermentorum, quæ copioſiora, ſalſiora, acriora, nimis energica ſunt.

2°. Vitio alimentorum, quæ ſpirituoſa, acria, aut volatilis naturæ aſſumantur.

3°. Vitio rerum externarum, ut ſi exercitia, vigiliæ, vehementiora pathemata immoderata fuerint.

Depravatur tandem in dyſpepſiâ, cùm in pravos, vitioſos, putreſcibiles, &c. ſuccos alimenta convertuntur.

1°. Quidem in acidos, acerbos, auſteros, acido-dulces, &c. ut in dyſpepſiâ acidâ, aut acido-dulci.

2°. In empyreumaticos, nidoroſos, ovis incubatis odore congeneres, &c. ut in dyſpepſiâ empyreumaticâ ſeu nidoroſâ.

3°. In bilioſos acres, amaricantes, ſubflavos, &c. ut in dyſpepſiâ bilioſâ ſive acri.

Cæterùm dyſpepſia acida, aut acido-dulcis ab imminutâ, nidoroſa verò aut bilioſa ab auctâ & intenſâ coctione dependent, quarum cauſas modò explicavimus.

Chyloſis coctionis vitia ſequitur, cùm bilis, ſuccus pancreaticus & inteſtinalis, quibus in gracilioribus inteſtinis ultimò completur, primæ digeſtionis vitia nequeant corrigere: imò verò cùm ipſa vitiis iiſdem, peccent ac priora duo fermenta digeſtiva ſaliva nimirum, & fluidum ſtomachale.

Quapropter, 1°. ſi ſit apepſia, chyloſis *abolebitur*, ac proinde chylus, vel nullus erit, vel apeptus, & ex leviter attritis integrantibus cibariorum moleculis conſtans.

2°. Si bradypepſia fuerit, chyloſis imminuetur, & chylus paucus, atque particularum malè ſubactarum miſcela impurus conficietur.

3°. Si coctio intenſa evadat, chyloſis *augebitur*, & chylus multus, ſed tenuior, fluxilior, acrior, nimis actuoſis qualitatibus pollens præparabitur.

4°. Si coctio depravetur, *depravabitur* & ipſa chyloſis, atque inde chylus acidus, acerbus, auſterus, acido-dulcis, empyreumaticus, nidoroſus, acer, bilioſus, &c. pro variâ chymi diatheſi.

CAPUT QUARTUM.

De læſis ſecretione Chyli & ſecreti propulſione in ſubclaviam.

CHYLI *ſecretio* à chymaceâ & crudiore materiâ, quæ per lactearum venarum oſcula in inteſtinis hiantia fit, morbosè imminuitur, aboletur, intenditur, & depravatur.

Imminuitur quidem, imò ab iiſdem cauſis, ſi intendantur. *Aboletur*, 1°. Si liquamen chymaceum paucas chyli partes contineat, ut in apepſiâ & bradypepſiâ: ſi craſſum, viſcidumque, quas continet, arctiùs contineat: ſi celeriùs fluens eaſdem velociùs abripiat, &c.

2°. Si oſcula venarum lactearum, quæ in inteſtina aperiuntur, mucilagine obducantur, impacto craſſiore chylo obſtruantur: ab inflammatis inteſtinorum tunicis comprimantur; uno verbo pervia non ſint.

3°. Si glandulæ meſeraicæ tumeant, obſtruantur, ſcirrhoſæ ſint, admittendo chylo parùm aptæ: è quibus cauſis

plurimæ in fluxu cœliaco ſuppetunt.

Intenditur verò, 1°. ſi multæ, diſcretæ, expeditæ chyli partes chymo inſint, ut in auctâ coctione: ſi chymus per inteſtina lentè decurrat, atque chylaceis partibus ſeceſſuris locum det, &c.

2°. Si venarum lactearum oſcula libera, hiulca, patentia ſint: ſi reciprocus inteſtinorum motus, quo chyli ſecretio promovetur, promptè liberèque exerceatur.

Depravatur demum ſi partes integrantes alimentorum, non ſolutæ neque fermentatæ, unà cum cæteris abſorbeantur: quod contingit, quia partes illæ ab alimentis dyſpeptis deciduæ non poſſunt fermentorum energia diſſolvi, ſed extenuantur tantùm, donec æquent chylacearum guttarum tenuitatem, quibuſcum vaſa lactea ſubeunt, ut de partibus aſparagorum, braſſicæ, allii, &c. vel quia oſcula lactearum nimis hiant, parteſque integrantes, malè etiam attenuatas, admittunt, ut in famelicis.

Protruſio chyli ſecreti *in ſubclaviam* ſiniſtri lateris imminuitur tantummodò, aut intenditur.

Imminuitur, 1°. quia paucus chylus

eſt, craſſus, ſpiſſus, ægrè fluens, unde cauſæ pellentes fruſtrantur.

2°. Quia cauſæ pellentes, contractio nimirum periſtaltica inteſtinorum, motus alternus muſculorum epigaſtricorum, & diaphragmatis, pulſatio arteriæ aortæ deſcendentis, &c. debiliores, languidiores, rariores ſunt.

Intenditur contrà cauſis contrariis, ut facilè liquet, vel leviter attendenti.

CAPUT QUINTUM.

De læſis Hæmatoſi & geneſi recrementorum.

CHYLUS ſanguinis, quocum in ſubclaviâ confunditur, naturam ſenſim adipiſcitur: ſolet autem ea converſio, quæ hæmatoſis dicitur, ſive *ſanguificatio*, trifariam lædi, imminutione, intenſione & depravatione.

Imminuitur, 1°. vitio chyli commutandi, ſi craſſior, viſcidior, pinguior, acidior, multuſque fuerit: inde enim fermentationem cruoris, à quâ convertendus eſt, vel eludit vel infringit.

2°. Vitio ſanguinis commutantis, ſi paucus, craſſus, viſcidus, parùm fermentatus, lentè circulatorio motu agitatus ſit: cùm enim ſanguis in commutando chylo vices fermenti ſuppleat, conſequens eſt hæmatoſim imminutum iri, pro imminutâ ſanguinis quantitate & energiâ.

Intenditur verò ratione contrariâ, 1°. vitio

1°. vitio chyli, ſi tenuis, fluxilis, acer, bilioſus, paucus ſit.

2°. Vitio ſanguinis, ſi multus, acer, tenuis, fuerit: ſi validè fermentetur & circumeat celeriter.

Depravatur tandem, 1°. ſi chylus in ſanguinem craſſum, viſcidum, fibroſum, lymphaticum, inertem, acidum commutetur, ut cùm hæmatoſis morboſè imminuitur, unde cachexia pituitoſa.

2°. Si chylus in ſanguinem acrem, aut ſalſo-acrem, tenuem, purpureum, aut ſubflaveſcentem, prætermodum fluxilem, facilè excandeſcibilem convertatur, ut in intensâ hæmatoſi; unde cachexia acris ſive bilioſa.

Geneſis recrementorum debetur tota ſanguinis motui univerſali, & partium cruoris inter ſe tanquam efficienti cauſæ: ſanguinis verò diatheſi & quantitati, tanquam materiali cauſæ: quamobrem ſimiles ferè læſiones patitur; nempe *imminuitur*, 1°. ſi languida ſit ſanguinis agitatio in ſingulis ſuis partibus, ſi lenta circulatio, &c. 2°. ſi ſanguis paucus, craſſus, viſcidus, fibroſus fuerit.

Intenditur verò, 1°. ſi ſanguis validè

K

fermenteſcat & circuletur celeriter : 2°. ſi ſanguis multus, tenuis, acer, bilioſus fuerit.

Depravatur denique, 1°. ſi recrementa craſſa, viſcoſa, pituitoſa generentur, ut in imminutâ eorumdem geneſi : 2°. ſi tenuia, acria, bilioſa gignantur, ut in auctâ eorumdem generatione : 3°. ſi aquoſa, diluta, vappida ſint, ut in ſeroſâ ſanguinis conſtitutione, aut diſſolutione nimiâ.

CAPUT SEXTUM.

De læſâ Nutritione.

NUTRITIO imminuitur, aut intenditur tantummodò.

Imminuitur quidem in atrophiâ, maraſmo, conſumptione, &c. 1°. quando lympha nutritia, reparandis partium jacturis deſtinata, pauca eſt, adeòque nutritioni non ſufficit: quando craſſior, viſcoſior eſt, adeòque in ſtrictos nutriendarum partium poros non poteſt facilè penetrare; quando aquoſior, tenuior, fluxilior eſt, adeòque non poteſt partibus accreſcere quibus inſinuatur: quando acrior eſt, adeòque, nedum nutrire, verùm potiùs partes radendo extenuare valet, &c.

2°. Quando, ſuppreſſo ſpirituum fluxu, partium poruli coincidunt, & collabuntur, præ flacciditate, adeòque ad lympham intùs ſuſcipiendam non hiant, ut in paralyſi; quando partium pori uberiore ſpirituum influxu conſtringuntur, adeoque lymphæ acceſſui non patent, ut

in doloribus rheumaticis, anchyloſi, &c. quibus, ſi diù durent, membra extenuari compertum eſt.

Contrà verò nutritio *intenditur* in magnitudine totius corporis aucta, 1°. quando lympha multa, debito modo fluxilis, tenuis, penetrans eſt, ita tamen ut ſolitæ conſiſtentiæ expers non ſit, ſed mucilaginis, aut tenuioris cremoris inſtar facilè concreſcat.

2°. Quando partes, ſpirituum fluxu dilatatæ, doloris immunes, moderato exercitio rarefactæ, lympham accedentem, promptè, facilè, affatim admittunt, ut olim in Athletis, quibus ad ſummum virium robur auctâ nutritione pervenire ſtudium fuit.

Dici etiam poteſt depravari nutritio, quoties partes inæqualiter accreſcunt, ut in gibboſis, valgis, &c. ſed depravatio illa nutritionis ad vitia liquorum de quibus egimus, referri poteſt.

CAPUT SEPTIMUM.

De læsâ dejectione Fæcum alvinarum.

DEJECTIO *fæcum alvinarum* imminuitur & rarior evadit, intenditur, & frequenter fit, ac tandem depravatur, ſeu fruſtraneo niſu exercetur.

Imminuitur & rarior eſt in conſtipatione, ſeu adſtrictione alvi : 1° vitio fæcum egerendarum, ſi aliorsùm propellantur, ut in vomitu, in iliacâ paſſione ; ſi duræ, ſpiſſæ, concretæ, vermiculari inteſtinorum contractioni, quâ deorsùm urgentur, obnitantur.

2°. Vitio recti, à quo fæces debent egeri ; ſi paralyticum, aut obtuſiori ſenſu donatum, fæcum ſtimulos non percipiat, quibus dejectio ſollicitatur : ſi ſphincter, quo cingitur, inflammatus, tumens, convulſivâ contractione occluſus, fæcibus exitum molientibus reſiſtat.

3°. Vitio partium, quæ conſenſu dejectionem promovent, diaphragmatis nimirum & muſculorum epigaſtricorum ;

ſi inflammati ſint : ſi doleant ipſi : aut contracti dolorem parti cuicumque inferant ; inde enim, ſuppreſsâ horum muſculorum actione ad egeſtionem, vi, quâ opus eſſet, niti non licet.

Dejectio contrà *intenditur* & frequentior eſt in alvi fluxibus variis, multigenis, ſtercoroſis, bilioſis, ſeroſis, dyſentericis, lientericis, cœliacis, cholerâ morbo, &c.

1°. Quia fæces tenuiores & fluidiores faciliùs citiùſque defluunt.

2°. Quia fæces acriores inteſtina fortiùs ſollicitant ad vermicularem motum, quo deorsùm urgentur.

3°. Quia inteſtina inflammata, ulcerata, eroſa, acutiùs ſentiunt, &, vel à levi causâ, vividiùs ad motum ſtimulantur.

Depravatur tandem dejectio, cùm frequenti ſed & irrito & fruſtraneo niſu exercetur, ut in teneſmo, quod accidit, 1°. qui materiæ quædam, ſolitò fortiùs irritantes, extremo recto adhærent, quibus dejectio ſollicitatur, ut Aſcarides, mucus inteſtinalis acrior ſalſiorque, pus ex ulcere aut fiſtulâ exſtillans, &c.

2°. Quia rectum, hæmorrhoidibus re-

fertum, aut ab acrioribus materiis, quæ in dyſenteriâ defluxere, eroſum, acutiore ſenſu pollet: unde levioribus impreſſionibus jam percellitur, quibus in ſtatu naturali nullo modo afficiebatur.

3°. Quia partes recto ſympathicæ laborant, & malè ſe habent: unde dejectionis niſus ex conſenſu proritatur, ut in calculo veſicæ collum irritante, in fœtu internum uteri oſculum aperiente, &c. tunc enim ſolius ſympathiæ nixu egeſtio ſollicitatur, ut attendenti perſpicuum eſt.

CAPUT OCTAVUM.

De læſâ Mictione.

MICTIO aboletur, imminuitur, intenditur, depravatur.

Aboletur, ſeu rectiùs ſupprimitur, in iſchuriâ, 1°. quia lotium per renes tranſcolari, aut tranſcolatum ad veſicam defluere non poteſt, ut in iſchuriâ nothâ ſive ſpuriâ.

2°. Quia urinæ actio in veſicam, quâ mictio ſtimulatur, percipi non poteſt, vel propter veſicæ paralyſim, vel propter delirium, quo mens aliò advocatur, ut in maniacis & phreniticis.

3°. Quia carneæ veſicæ fibræ, prætermodum diſtractæ à congeſtâ urinâ, ſpiritibus, ad contractionem moliendam influentibus, non patent, ut in nimiis urinæ retentionibus, quas iſchuria ſubſequitur.

4°. Quia urethra, vel calculo, grumo, pituitâ, pure, carunculâ obſtruitur: vel ab utero grandiore fœtu diſtento, à proſtatis, aut veſiculis ſeminalibus

inflammatis, à recto hæmorrhoïdibus diſtento, &c. comprimitur: vel à ſphinctere veſicæ inflammato, convulſo conſtringitur, atque adeò urinæ exitum quærenti pervia non eſt.

Hæ ultimæ tres cauſæ iſchuriam legitimam inferunt.

Imminuitur verò mictio, atque guttatim fit, ſed ſine ullo acrimoniæ ſenſu, in ſtranguriâ, propter eaſdem cauſas, ſed minùs energicas.

Intenditur contrà mictio, ac ſolitò frequentior fit, 1°. quia urina copioſior, ut in diabete: acrior, purulenta, &c. aut calculus durus, aſper, &c. veſicam ad contractionem frequentiùs ſtimulant.

2°. Quia veſica eroſa, ulcerata, inflammata, cauſis mictionem ſollicitantibus magis patet, atque adeò frequentiùs obſequitur.

3°. Quia ſphincter veſicæ diſtractus, laxatus, paralyticus, &c. urethræ principium malè claudit, viamque lotio per conniventia latera permittit.

Memoratas cauſas obſervare eſt in urinæ incontinentiâ.

Tandem mictio *depravatur* dum frequenter exercetur, & cum urente caloris

& acrimoniæ ſenſu, ut in dyſuriâ : quod accidit, 1°. cùm urina acrior, ſalſior, purulenta eſt, aut una ſecum ſabula, lapillos; arenulas abripit.

2°. Cùm urethra inflammata, eroſa, ulcerata, cauſis impetentibus vividiùs patet.

ART. II.

De læſionibus functionum naturalium quæ ad ſpeciem propagandam neceſſaria ſunt.

FUNCTIONES illæ pro ſexu diverſæ ſunt : in viris nempe, penis erectio, & ejaculatio ſeminis : in fœminis verò menſtruatio, conceptio, prægnatio, parturitio & lactatus, quarum ſingularum læſiones in ſequentibus expendemus.

CAPUT PRIMUM.

De læsâ Penis erectione & ejaculatione ſeminis.

ERECTIO *membri virilis* imminuitur, & aboletur, aut intenditur.

Imminuitur & invaleſcentibus cauſis *aboletur* in frigidis, maleficiatis & impotentibus, 1°. vitio ſeminis, quod paucum, aquoſum, iners, vappidum, ineſficax, &c. proſtatis aut veſiculis ſeminariis, utì opus eſt, titillandus impar eſt.

2°. Vitio proſtatarum, veſicularum ſeminalium, quæ flaccidæ, œdematoſæ, paralyticæ, calloſæ, &c. non patent contenti ſeminis vi & energiæ, neque poſſunt proinde erectionem ſympathicè ciere.

3°. Vitio muſculorum erectorum & acceleratorum, qui ſuppurati, eroſi, ſecti, ſchirroſi, œdematoſi, violenter diſtracti, elongati, paralytici, &c. muniis fungi, ſolitâque contractione venas ſubtùs repentes premere non poſſunt, ut ad erectionem neceſſarium eſt.

4°. Vitio imaginationis, quæ ſi pathemate quopiam, timore, verecundiâ, &c. aut præconceptâ de faſcino opinione perculſa fuerit, motum ſpirituum ad genitalia fluentium, vel intercipit, vel aliò detorquet.

Contrà verò erectio mentulæ intenditur, in ſatyriaſi ſive priapiſmo, 1°. ſi ſemen copioſius, acre, purulentum, ut in gonorrhœâ virulentâ; aut ſi corroſivum ſit ex uſu cantharidum.

2°. Si veſiculæ ſeminariæ, vel proſtatæ, eroſæ, diſtentæ, inflammatæ, &c. acriùs ſentiant, ſenſuque vividiore erectionem ſympathicam fortiùs ſtimulent, ut in gonorrhœis virulentis.

3°. Si ex cerebri vitio ſpiritus impetu nimio, motuque citatiore, in muſculos erectores & acceleratores propellantur, quos validè contrahunt, ut in epilepticis, &, ſi famæ fides ſit, in fine ſuſpenſis.

Seminis verò *emiſſio* imminuitur & aboletur, vel depravatur.

Imminuitur quidem, & *aboletur* in frigidis, 1°. quia ſemen, vel paucum, vel nullum conficitur, ut ſi teſtes exciſi, contriti, ſchirroſi, fiſtuloſi ſint: ſi ve-

ſiculæ & proſtatæ ſuppuratæ, calloſæ, induratæ ſint.

2o. Quia oſcula, quibus ſeminis conceptacula cum urethrâ communicant, occluſa, vel coalita ſunt, ut gonorrhœis virulentis malè deterſis quandoque accidit.

3°. Quia debilis eſt in erecto pene urethræ pulſatio, quâ ſemen in arvum muliebre languidè ejaculatur.

Depravatur verò in gonorrhœis ſimplicibus, quæ virulentis diuturnioribus ſæpe ſuccedunt, & in quibus, citra venereum actum, ſemen ſtillatim profunditur, ſine ullo voluptatis ſenſu; quod à nimiâ oſculorum amplitudine repetendum eſt, quibus veſiculæ ſeminariæ in urethram aperiuntur: hæc enim à transfluente pure altiùs eroſa jam nimis hiant & patula ſunt, neque adeò poſſunt ſemen, ut anteà, continere.

CAPUT SECUNDUM.

De læsâ Menſtruatione.

MENSTRUATIO aboletur, imminuitur, intenditur, & depravatur.

Aboletur, ſeu, ut rectiùs dicam, ſupprimitur, in defectu menſtruorum, 1°. vitio, vel defectu humoris lactei, qui cola uterina periodicè ſolet inflare; ſi labore & exercitio exhauriatur, ut in viraginibus & ruſticis; ſi aliò deducatur, ut in lactantibus, ſi tenuior, fluxiliorque per media cola in uterum guttatim prorepat, ſimul ac admiſſùs, ut in fluore muliebri.

2°. Vitio coli ipſius uterini: ſi obſtructum, infarctumve, lacteum humorem, quo ſolet periodicè turgere, nequeat admittere, ut in chloroſi; ſi nimis patens & hiulcum, admiſſum humorem non retineat, ſed ſtillatim admittat, ut in fluore muliebri inveterato.

3°. Vitio vaſorum per uterum reptantium; ſi denſa, firma, tenacia, vim

& impetum congeſti ſanguinis, divulſionem molientis, eludant.

4°. Denique, vitio ipſius ſanguinis; ſi tenuior, fluxilior, diſſolutus ſit, ideòque uteri vaſa, etiamſi compreſſa, haud difficulter permeat citra rupturam, ut in cachecticis; ſi lentè circulans, motuque tardo progreſſus, debiliori momento in vaſorum latera arietet, quàm ut cogantur dehiſcere.

Imminuitur verò in paucitate menſium, iiſdem planè cauſis, ſed minùs intenſis.

Intenditur contrà, in immodico catameniorum fluxù, 1°. vitio humoris lactei: ſi affluens & copioſus ſit: ſi ſolitò craſſior diutiùs hæreat in colis uterinis quæ tumefacit.

2°. Vitio coli ipſius: ſi ita ſemiobſtructum fuerit, ut liberis quidem immiſſariis, emiſſaria occluſa ſint aut infarcta: unde humorem, quo ſemel turget, pertinaciter concludit, ut in obſtructionibus malè reſeratis.

3°. Vitio vaſorum: ſi debiliora, tenuiora, ſemi-eroſa ſint, ut in ulcere uteri; adeòque urgentis ſanguinis momento facilè cedant.

4°. Demum vitio ſanguinis : ſi quantitate nimius, ſi orgaſmo rareſcens, ſi celeriùs circulans, vaſa uterina nimis diducat & diducta à coalitu arceat ; ſi præternaturam acer & mordax diductorum vaſorum limbos erodat & dilaniet : undè difficiliùs coaleſcant.

Depravatur tandem multiplici ratione, 1°. ſi cum moleſtiâ & gravibus ſymptomatibus fiat, quod pendet ab eruptionis difficultate, adeòque ab iiſdem cauſis, quibus menſtrua ſupprimi aut imminui modò diximus.

2°. Si debitum tempus antevertat & frequentior ſit, quod fit ab iiſdem cauſis quibus nimium menſtruorum fluxum induci docuimus.

3°. Si ſubſiſtat intra tempus conſuetum & rarior ſit, quod pariter à cauſis catameniorum fluxum imminuentibus repetendum eſt.

4°. Si per loca aliena fiat, quod in menſtruorum defectu frequens eſt : cùm ſanguis, quantitate peccans, per medias partes, quæ ſemi-eroſæ, aut texturâ debiles ſunt, viam ſibi cudit.

5°. Si menſtrua, quæ profluunt, decoloria ſint, quod à pauciore ſanguinis,

nimiâque humoris lactei quantitate deducendum eſt.

6°. Si ſuppreſſis menſtruis ſuccedat fluor muliebris, qui catameniorum quaſi vicarius ſit. Fluor autem muliebris producitur, vel ab immodicâ humoris lactei uterini tenuitate, fluxilitate, acrimoniâ, quibus fit ut colis uterinis contineri non poſſit; vel à nimiâ colorum uterinorum dilatatione & amplitudine, quibus fit ut humorem lacteum continere nequeant, unde utralibet cauſa ex utero ſtillatim effluit.

His tamen poteſt & tertia fluoris albi cauſa adjici, lymphæ nimirum diapedeſis è ſuis vaſis, dum uteri obſtructionibus compreſſa, congeſtâ lymphæ quantitate, prætermodum turgent & diſtenduntur.

CAPUT TERTIUM.

De læsâ Conceptione.

CONCEPTIO aboletur, imminuitur & depravatur.

Aboletur quidem in ſterilibus, 1°. ſi vagina clauſa, imperforata, ad congreſſum impervia ſit, ut in atretis ſive imperforatis.

2°. Si oſculum uteri clauſum ſit, ut in hydrope uteri: vel calloſum & adſtrictum, vel ad latera diſtortum, & vaginæ recta non obvium, neque adeò poſſit ſemen à mare emiſſum admittere. De quâ tamen ultimâ causâ nihil omninò certum pronuntiare poſſumus, cùm pauci ſint receſſus quos afflare non poſſit aura ſeminalis.

3°. Si fœmina temperamento frigida, vel erga maritum malè affecta, œſtro venereo debiliter percellatur, ab ejuſmodi voluptate averſa.

4°. Si uterus obſtructus, ſchirroſus, ulceratus, cruſtâ mucosâ obductus, &c. ſemini in uterina vaſa tranſmittendo

non pateat, ut in fœminis quæ chloroſi, fluore albo, ulcere uteri, &c. laborant, aut quæ non menſtruantur.

5°. Si ſanguis craſſus, ſpiſſus, vel fervidus & æſtuans, in ſummâ malè diſpoſitus, admiſſas ſeminales partes alteret, pervertat, vitiet, & conceptioni promovendæ reddat ineptas.

6°. Si ovaria ſchirroſa, dura, ſuppurata, hydrope tumida ſint: aut ovula ipſa flaccida, vieta, marcida, corrugata, morbo vel ſenio contabuerint, ut in virginibus annoſioribus, & tardiùs maritatis aut cachecticis.

Imminuitur verò conceptio, dum conceptus rarus eſt, quòd à cauſis iiſdem, ſed inefficacioribus & non continuis, dependet.

Denique *depravatur* conceptio, 1°. cùm uno conceptu tres pluresve fœtus confundantur: quod fit vel nimiâ fœcundantis ſeminis energiâ, quod ovis plurimis, necdum tamen planè maturis fœcundandis compar eſt: vel ſimultaneâ multorum ovorum maturitate, quæ fœcundationi æquè idonea ſunt.

2°. Cùm fœmina, jam uno infante fœta, novo congreſſu alterum concipit,

ut in ſuperfœtatione ; quod fit, vel quia malè connivet internum uteri oſculum, quod in prægnantibus occluſum eſt, hiatque tunc ſatis ad admiſſionem ſeminis de novo fœcundaturi : vel quia ita laxa eſt, mollis, ſpongioſa vaginæ textura in illis fœminis, ac præ earum ſalacitate ita rareſcit, ac expanditur in œſtro veneris, ut ſemini abſorbendo & in ſanguinem traducendo æquè comparata fiat, ac ipſe uterus.

3°. Cùm malè conformati, aut monſtroſi fœtus generantur : quod pendet, vel à vitiosâ vermiculi, qui embryonem format, conformatione, ſive ea adventitia fuerit, ſive à parentibus, modo nondum ſatis explicato, traducta ; vel ab inæquali embryonis accretione, quâ illius membra inæqualiter expanduntur & manifeſtantur ; vel à variis matris pathematibus, quæ ignotâ ratione conceptum fœtum variè informant, ſi non paucis obſervationibus fides adhibeatur.

4°. Demum, cùm placenta & appenſæ ſecundinæ creſcunt in molam, nullo intus concluſo fœtu ; quod accidit, vel quia vermiculus nullus ovulo in uterum prolapſo inſinuatur, unde nullum em-

bryum : vel quia ſemel inſinuatus citò interimitur causâ variâ & multiplici, unde cum creſcentibus ſecundinis nequit ſolito more creſcere.

CAPUT QUARTUM.

De læsâ Prægnatione.

PRÆGNATIO *depravatur*, vel quoad tempus, vel quoad locum.

Quoad locum, 1°. cùm fœtus in abdominis cavitate continetur, ut in caſu à Domino COURTIAL, Profeſſore Tholoſano, obſervato, ſi fidem mereatur : id accidit, cùm fimbriata tubæ extremitas, ſive morſus Diaboli, ovario malè applicata deciduum ovulum fœcundatum non excipit, quod inde in abdomen provolvitur, in quo tamen poſſe creſcere & augeri in novimeſtrem fœtum nuſquam crediderim.

2°. Cùm fœtus in alterutrâ tubarum Fallopianarum hæret & retinetur, ut pluſquam ſexcentis Obſervationibus compertum fuit : quod contingit, ſi anguſtior tubæ extremitas, quæ utero in-

hiat, causâ qualicumque coarctata, preſſa, obſtructa, conſtricta, &c. deſcendenti ovulo viam deneget.

Depravatur *quoad tempus*, *primò* ſi ſolitos nonimeſtrii terminos antevertat ut in abortu, quem provocant, 1°. Quæcumque conceptum fœtum enecant, ut vulnus, ictus, contuſio gravior, morbi à matre communicati, nimia appellentis ſanguinis copia, quâ opprimitur, ut in plethoricis, &c, unde marcida & corrugata placenta ſponte ab utero ſeparatur. 2°. Quæcumque alimoniam fœtui ſubtrahunt; ut inedia prægnantis, inappetentia, cibi faſtidium, vomitus, diarrhœa, immodica ſanguinis evacuatio per nares, hæmorrhoides, &c.: unde fœtus, fame ſtimulatus, nexum placentæ cum utero calcitrando corrumpit. 3°. Quæcumque placentam ab utero vi diſtrahunt: ut exercitatio vehemens, ſaltatio, curſus, equitatio, vectio durior, oneris gravioris geſtatio, caſus concutiens, ictus in ventrem inflictus, vehemens muſculorum epigaſtricorum motus à tuſſi, vomitu, alvi fluxu, teneſmo, ſternutatione, convulſione, clamore, immoderatâ aut petulante venere, &c.: unde

fœtus, vinculis laxatus, in oſculum uteri divolvitur, exitumque molitur. 4°. Quæcumque placentam ab utero ſenſim ſeparant, nexum diſſolvendo: ut ſanguis maternus uberiùs affluens, aut lacteus humor copioſior, qui ab utero exudantes, nec à placentâ prætermodum turgidâ excepti, mutuam utriuſque adhæſionem interfluxu relaxant; ut in prægnantibus plethoricis & opipare nutritis, unde fœtus pondere ſuo ad excluſionem provolvitur. 5°. Demum, quæcumque fœtum in utero malè afficiunt: ut ſi naturâ arctior ſit uteri capacitas, ut in juvenculis: aut quomodocumque anguſtata tumore oborto; ſi fœtus grandior & habitior fuerit, aut hydrope tumeat: ſi plures unà continentur, &c.: inde enim dum infans inquietus ſeſe variè volutat, commodiorem ſitum capturus, nexus vincula plerumque rumpit.

Prægnatio depravatur *ſecundò* quoad tempus, ſi ſtatutos geſtationis limites excedat, ut ſi ad undecimum, duodecimum, decimum tertium, &c. menſem extendatur, quòd non ſemel obſervatum eſſe teſtantur quamplures hiſtoriæ, quarum fides ſit penes Authores; ſi id

contigerit uſquam, contigit dubio procul ex fœtuum exilitate, extenuatione; imbecillitate; aut ex laxâ, debilique uteri texturâ in prægnantibus, quæ ulteriorem expanſionem facilè permiſerit: ſi fœtus, in utero enecatus, ſenſim exareſcat, aut, quod communius eſt, gypſeo pure à vicino abſceſſu profluente incruſtetur, poterit inde in utero conſtanter permanere, abſque ullo graviore ſymptomate, donec extinctâ matre extrahatur, ut lithopædium Senonenſe quod per viginti octo, & Tholoſanum quod per viginti quinque annos in utero delituit: inde tandem poſt prægnantis mortem ſectione eductum.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

De læsâ Parturitione.

LEGITIMA ea eſt ac fauſta parturitio, quâ vitalis partus, neque nimiis, neque diuturnioribus doloribus, ac ſine ullo graviore ſymptomate, reciproco uteri & fœtûs niſu foràs editur.

Inde liquet *parturitionem depravari*, 1°. ſi laborioſa nimis, ac diuturnioribus doloribus ſtipetur; ut ſi prægnans primipara junior, aut annoſior ſit: ſi clauda, gibba, delumbis: ſi os uteri calloſum, durum, cicatricoſum, anguſtatum, diſtortum: ſi fœtus habitior, ſi capite, humeriſque latus ſit, ſi ventricoſus: ſi prægnans, fœtuſque languentes, infirmi, morbo debilitati: ſi fœtus gemelli ſint.

2°. Si gravia, periculoſa, vehementiora ſymptomata inferat: ut ſi funiculus umbilicalis, longior, laxior, pendulus: ſi placenta ab utero citiùs divulſa fœtum prævertant, unde citâ morte perire ſolet; ſi ruptis ſecundinis aqua

puerperii maturiùs emittatur ; ſi pariens convulſionibus, aut motibus convulſivis ſuccutiatur præ dolorum vehementiâ ; ſi immoderato ſanguinis fluxu debilitetur, qualis à placenta celeriùs divulſa neceſſariò ſuccedit, &c.

3°. Si parturiens niſu fruſtraneo exerceatur : ut ſi fœtus in utero, morbo, inediâ, inani conatu defunctus, vel ictu, contuſione, validâ uteri contractione enecatus, matri enitenti non reſpondeat : ſi truncatum infantis caput : ſi adhærens ſecundina, utero retenta, matrem in apertum diſcrimen adducant, &c.

4°. Si præternaturalis fuerit : ut ſi fœtus irrequietâ calcitratione, præpoſtero prægnantis motu, imperitâ obſtetricantium manu revolutus, intra uterum malè jaceat, ejuſque oſculo, non ſummum ſinciput ut in naturali partu, ſed aliam quamvis corporis partem offerat, quâ duce perfici nequeat excluſio.

5°. Demum, ſi ex allatis caſibus bini ternive quilibet, ſimul concurrerint, aut quod peſſimum eſt, ſi omnes unà coinciderint, quod à ſimultaneo cauſarum, quibus inducuntur, concurſu dependere poteſt.

CAPUT ULTIMUM.

De læſo Lactatu.

LACTATUS quadrupliciter læditur, imminutus, abolitus, auctus & depravatus.

Imminuitur autem, quin imo *aboletur*, 1°. ſi mammæ inflammatæ, ſcirrhoſæ, œdematodes, ſcrophuloſæ, carcinomatodes, ulceratæ, fiſtuloſæ ſint: ſi papilla deſit, aut ductuum lacteorum coalitu obſtructa ſit, ut poſt ulcera abſceſſuſque.

2°. Si lac in mammis, alioquin ſanis, deficiat; ſive quia deeſt chylus, ut in jejunio & inediâ: ſive quia morbo acutiore, febre, pleuritide, peripneumoniâ, &c. diſſipatur: ſive quia venæ ſectionibus, hæmorrhagiis, purgationibus, ſudoribus, vomitu, alvi fluxu, &c. exhauritur: ſive tandem quia aliò divertitur in menſtruatione, graviditate, &c.

3°. Si lac in mammas ſanas ubertim confluens in grumos caſeiformes inſpiſſetur, propter cauſas infrà fuſiùs explicandas, ubi de vitiis excretorum.

Intenditur verò lactatus : ſi lactans junior, ſana, valens, mammoſa, edax & lautè nutrita ſit : ſi jam antè nutrix fuerit, atque proinde vaſa mammaria aperta & diducta : tunc enim ſi fœtus debilis, imbecillis ſit, lac copioſiùs confluens ubera præter modum inflat ac diſtendit, & demum citra ſuctionem ſpontè exprimitur.

Ultimò lactatus *depravatur*, quando cum dolore exercetur : quod à vitio papillarum dependet, quæ fiſſuris, ſciſſuris, rhagadibus, phlyctænis, ulcuſculis defœdantur.

SECTIO SECUNDA.

De vitiis Excretorum.

EXCRETA, cùm intra naturæ leges conſiſtunt, certam ſubſtantiæ rationem obtinent, propriis pollent qualitatibus & dotibus, ac demum quantitate definitâ & conveniente emitti ſolent: *poſſunt* igitur, lege contrariorum, *à naturali ſtatu* tripliciter *deſciſcere*, ratione ſubſtantiæ, ratione qualitatis & quantitatis.

Ratione quidem *ſubſtantiæ*; ſi excreta ab excretis naturalibus totâ ſubſtantiâ, ſeu, ut vulgò aiunt, toto genere, diverſa ſint: ut ſi calculus à veſicâ, vermes ab alvo, pus à mammis, &c. egerantur.

Ratione verò *qualitatis*: ſi excreta, in unâ pluribuſque qualitatibus alterata, à colore, ſapore, conſiſtentiâ, pelluciditate, &c. nativis degenerent: ut cùm lac acre aut ſalſo-acre, urina crocea aut

ſubrubra, fæces alvinæ ſolitò liquidiores, &c. excernuntur.

Tandem *ratione quantitatis*: ſi aucta, imminuta, deficiens ſit, quæ cuncta clariùs, fuſiùſque enucleabuntur in ſequentibus diſtinctis capitibus: exponendo vitia ſingula, ſingulaſque vitiorum cauſas, quibus peccant excreta, 1°. quæ per mammas: 2°. quæ per aures, nares, oculos, &c. 3°. quæ per cutim & univerſum corporis habitum: 4°. quæ per alvum: 5°. quæ per urethram: 6°. demum quæ per vaginam educuntur.

CAPUT PRIMUM.

De vitiis excretorum quæ per mammas excernuntur.

Excreta per mammas trifariam *peccant*, ſubſtantiâ, qualitate & quantitate.

Subſtantiâ quidem, ſi ſint toto genere præter naturam: ut 1°. cùm loco lactis, pus è mammis effluit, ut in abſceſſibus & apoſtematibus mammarum: 2°. cùm ſanguis lacti, puri, aut ichori confuſus excernitur, ut in mammarum ſuggillatione, abſceſſu, ulcere interno & latente, quod in carcinoma plerumque degenerat: idem contingit aliquando, mammis etiam ſanis ſed exhauſtis, ſi nimia ſit ſuctio: quoniam tunc incumbentis aëris gravitas ſanguinem à mammariis vaſis in hiulcas mammarum veſiculas vi adigit.

3°. Cùm ſanguis menſtruus, ſtatis periodis, per mammas emittitur, utì nonnunquam obſervatum fuit in ſuppreſſione catameniorum, quorum defectum ea evacuatio ſupplebat.

Qualitate verò : ſi lac præternaturam tenue & aquoſum fuerit, abuſu potûs nimii ; intemperie pituitosâ lactantis : ex ſubortâ graviditate, quâ lac craſſius ad uterum divertitur, & mammis ſubtrahitur : demum quia nutrix primipara eſt, adeòque ſecretorios lactis poros ſtrictos & anguſtos habet.

2°. Si lac prætermodum craſſum ſit & glutinoſum, ex abuſu ciborum craſſorum, aut pòlytrophorum, ex paucitate potûs, ex temperamento calidiore, pathemate vehementiore, febre, exercitatione nimiâ, &c. quibus ſerum, chylaceæ materiæ, ſanguini confuſæ, lacque ſuppeditaturæ diſſipatur : ex frigore externo, aut acidorum miſcelâ, quæ à primis viis proveniunt : unde lac in grumos aut caſeum inſpiſſatur, ut in grumefactione ſive thromboſi, & caſeatione ſive tyroſi.

3°. Si lac ſapore acidum ſit, abuſu ciborum acidorum, aut indigeſtione acidâ, quibus chylus acidior ſanguini ſubminiſtretur : ſi ſanguis acidior vel lentè ſubactionem perficiens, chyli aciditatem non corrigat ſubigendo, ſed è contrà magis augeat, &c.

4°. Denique, ſi lac ſapore acre, aut ſalſo-acre, ſi odore urinoſum aut viroſum, ſi colore croceum aut ſubcroceum ſit: quod accidit (*a*) vitio mammarum, ſi veſiculæ intus eroſæ acri pure lac inquinent; (*b*) vitio diætæ, ſi nutrix porris, cepis frixis, piperatis, &c. veſcatur; ſi vinum meracius bibat; ſi nimis exerceatur, aut vigilet; (*c*) vitio ſanguinis, ſi naturâ acer aut ſalſo-acer ſit, ut in phthiſicis, hecticis, cachecticis, &c. (*d*) vitio viſcerum, hepatis v. g. ſi obſtructum partes bilioſas non admittat, quæ ſanguini innatantes lacti confundantur; (*e*) vitio uteri, ſi, textura mollior, menſtruorum fluxum in lactante permittat: unde intensâ agitatione & circulatione ſanguinis lac acrius evadit; (*f*) denique vitio pathematum, ut ſi nutrix irâ, aut aliis animi affectibus perturbetur, ſi libidine uratur quam explere nequeat.

Tandem excreta per mammas peccant *quantitate* auctâ vel imminutâ: ſi lac nullum, paucum, aut copioſum in mammas confluat, quorum omnium cauſas vide *ſuprà*, ubi de læſo lactatu.

CAPUT SECUNDUM.

De vitiis excretorum quæ per nares, aures oculoſque excernuntur.

EXCRETA per nares, aures, oculos, &c. tripliciter *vitiantur*, ſubſtantiâ, qualitate & quantitate.

Subſtantiâ, ſi toto genere præter naturam ſint, ut 1°. ſi loco ceruminis, muci, aut lachrymarum, pus ex auribus, naribus, oculis effluat: ut in abſceſſu, aut ulcere, quibus illa ſenſoria infeſtantur.

2°. Si ſanguis per eadem loca excernatur, vel ſincerus & impermixtus, vel cerumini, muco, aut lachrymis confuſus: ut in hæmorrhagiis quibuſcumque, quæ ab eroſis, ſauciatis, ruptiſve vaſis ſanguiferis accidunt, ut in periodicis cruoris evacuationibus, quæ per illa loca quandoque contingunt, & ſuppreſſorum catameniorum vicariæ ſunt.

Qualitate verò, 1°. ſi humores, qui per illa emunctoria excerni ſolent, ſint ſolitò craſſiores: quod evenit, (*a*) ex

viſcidâ ſanguinis diatheſi, à quo ſcaturiunt, ut in coryzâ à frigore; (*b*) ex auctâ evacuatione ſeroſâ quâvis, quæ ſerum, humoribus illis diluendis deſtinatum, abducat; (*c*) ex morâ diuturniore, quam in ſuis conceptaculis trahunt: unde calore partis & continuâ lymphæ deductione inſpiſſantur, ut in gravedine.

2°. Si ſint è contrà præternaturam tenues & aquoſi, ut in epiphorâ aut continuâ narium diſtillatione; quod accidit (*a*) cùm ſanguis tenuior eſt & diſſolutus: (*b*) cùm evacuatio quædam ſeroſi humoris, ut ſudoris, urinæ, &c. ſupprimitur: unde ſerum copioſius humoribus ineſt: (*c*) cùm jugi & continuâ irritatione excretio humoris perpetim ſollicitatur: unde nequit ſufficienti morâ incraſſari.

3°. Si ſint æquo acriores & mordaces, ut in iiſdem caſibus; quod debetur, vel ſanguinis dyſcraſiæ acri aut ſalſo acri, cujus excrementitii humores participes fiunt: vel præſentiæ humoris cujuſdam acrioris, bilis, v. g. quæ, ob præcluſum nativum colum, in ſanguine abundat ultra modum.

Tandem peccant *quantitate*, 1°. auctâ, ut in allatis caſibus : (*a*) ſi ſanguis multus, laudabilis, debitè ſubactus, corpori inſit, qui humores hoſce copioſos ſuppeditet : (*b*) ſi humor quiſpiam à ſecretione, quâcumque de causâ, cohibitus, humorum, de quibus agimus, quantitatem augeat : (*c*) ſi continuâ irritatione jugis & uber illorum ſecretio ſollicitetur.

2°. Imminuta : quod contrariis cauſis inducitur, ut facilè liquet attendenti.

CAPUT TERTIUM.

De vitiis excretorum per cutim & univerſum corporis habitum.

DUO ſunt quæ per cutim naturaliter excernuntur, *ſudor* & *inſenſibilis perſpiratio*. Sudor quidem ſecretione per miliares ſeu cutaneas glandulas: inſenſibilis verò perſpiratio exhalatione ſolâ per hiulca cutis ſpiracula, ut docet Phyſiologia.

Peccat autem utrumque tripliciter; ſubſtantiâ, qualitate & quantitate.

Primò, *ſubſtantiâ*, ſi excreta à ſudore aut inſenſibili diapnoe toto genere aliena ſint: ut ſi ſanguis è cute effluat, quemadmodum in duplici caſu obſervatur: 1°. cùm è ſingulis cutis ſpiramentis ſudoris inſtar guttatim prolicitur, ut in Peſte Americanâ: quod à ſummâ purpureorum globulorum, totiuſque ſanguinis diſſolutione dependet, quâ cruoris partes attenuantur, validâque cordis & arteriarum ſyſtole, quâ per ſtrictos cutis poros foràs adiguntur.

2°. Cùm ſanguis ex unicâ cutis parte promanat, citra ſenſibilem cutis labem: ut in exemplis à JACOBO HOLLERIO & BARTHOLOMÆO DE MOOR memoriæ traditis; novimus, inquit HOLLERIUS pag. 584. *Operum Practicorum*, quemdam, cui è regione hepatis vena per intervalla dehiſcebat, quæ ſanguinem funderet: reſtitante ſanguine veſtigium non apparebat. Virgo quædam, ait DE MOOR *in præfatione de Medicinæ inſtauratione præfixâ*, viginti duo annorum probè menſtruata; hæc hæmorrhagiam, è malis & brachiorum parte exteriore paulò ſuprà carpum, copioſam patitur, neque tamen ulla continui ſolutio, ullum vulnus, ullum ulcus adeſt, ſed quemadmodum è cutis noſtri corporis poris ſudor erumpit, ita ſimili modo ſanguis ſolet erumpere. Vidimus & ipſi Tholoſæ haud abſimilem caſum in Matronâ nobili, (*Madame de Clary*) cui ex ictu pridiano fronti inflicto, ſanguis à ſupremâ frontis parte per horæ ferè ſpatium, rivuli inſtar, profluxit ſine ullâ cutis rupturâ, quæ deterſo cruore perſpici poſſet.

Conjicimus autem rariora hæc ſanguinis effluvia fieri, vaſis ſubtus cutem

obſtructis, redituique ſanguinis obſtantibus : unde cruor malè coercitus pone ſequentis ſanguinis truſionem per cutis poros vi exprimitur.

Secundò, peccant excreta per cutim *qualitate* multis modis : 1°. Si ſudor craſſus, viſcidus, glutinoſus ſit, ut cùm ex ſanguinis diſſolutione & ſolidarum partium colliquatione ſulphurea ramenta detrita multa ſecum abripit, ſicut in febribus colliquativis : ille autem ſudor diaphoreticus appellatur.

2°. Si ſudor ſolitò acrior, ſalſior, nimiſque muriaticus fuerit, ut accidit cùm acria & ſalſo-muriatica ſalia in ſanguine ex pravo regimine cumulantur : aut cùm, prægreſſis febrilibus incandeſcentiis diuturnis, generantur, ut in febribus hecticis & maraſmodeis.

3°. Si ſudor frigidus ſit, ut quando è partibus frigeſcentibus extillat in ſyncope & agone mortis.

4°. Si ſudor colore flaveſcit ex bilis in ſanguine redundantiâ, ut in ictericis.

5°. Si ſudor odore fœtidus & graveolens fuerit : quando ſanguis heterogeneas & vitioſas partes, quibus fœtus eſt, ſudori communicat, qui exinde gra-

vem, modò acidum, modò acrem, modò urinoſum, modò billioſum, &c. odorem ſpirat.

Demum excreta per cutim peccant *quantitate*, nempe auctâ vel imminutâ: auctâ quidem, 1°. ſi ſudor nimius ſit, ut in febribus ſudatoriis: 2°. ſi perſpiratio plenior, ut in hecticis & tabidis.

Imminutâ verò, 1°. ſi ſudor nullus, vel paucus, & circa collum tantùm aut thoracis ambitum, ut in ephidroſi, etiamſi magna præceſſerit ſudationis cauſa: 2°. ſi perſpiratio, vel planè cohibita, aut notabiliter coercita ſit ex ſubitaneo frigidioris aëris attactu in corpore ex incaleſcentiâ æſtuante; horum autem omnium cauſæ ex Phyſiologiâ repetendæ, ubi ſudationis & perſpirationis cauſæ explanantur.

CAPUT QUARTUM.

De vitiis excretorum per alvum.

EXCRETA per alvum, perinde ac cætera quævis tripliciter *peccant*, ſubſtantiâ, qualitate & quantitate.

Primò, *ſubſtantiâ*, ſi loco fæcis alvinæ quæ naturaliter egeritur, excernantur quæ ſint toto genere aliena, ut 1°. ſanguis, vel ex eroſis, ruptiſve vaſis inteſtinalibus, ut in dyſenteriâ; vel ex eroſis, ruptiſve vaſis hæmorrhoidalibus internis aut externis, ut in hæmorrhoidum fluxu.

2°. Vermes, ex ovulis alimentis interſperſis, leni inteſtinorum aut chylaceæ materiæ calore foti & excluſi, quorum quatuor genera in corpore humano obſervantur; nam alii longi ſunt & teretes, qui lumbrici: alii breves & teretes, qui aſcarides: alii longi & lati, qui tæniæ ſive faſciæ: alii demum breves & lati, qui cucurbitini nuncupantur.

3°. Pus ex inteſtinorum ulcere, vel

abſceſſu quodam, in partibus inteſtinis contiguis, hepate v. g. pancreate, liene, renibus, utero, &c. promanans.

4°. Chylus ab orificiis venarum lactearum obſtructis, vel compreſſis, excluſus; aut citatiore chylaceæ materiæ profluxu abreptus, ut in affectu cœliaco.

5°. Alimenta non mutata, ut in lienteriâ: quod citatiori eorumdem per inteſtina delapſui debetur, unde moram non trahunt ſufficientem, ut digerantur.

6°. Calculi reſinoſi, calore liquabiles, imo reſinæ inſtar facilè inflammabiles, ex inſpiſſatâ bile in cyſtide felleâ aut biliariis ductibus geniti, aperientium, diluentium, purgantium vi in inteſtina per porum choledochum detruſi, & inde ano egeſti: ut in hepatis obſtructionibus haud infrequens eſt.

7°. Tandem membranæ, vel caruncula à dyſentericis egeſtæ, quæ tunicarum inteſtinalium intertrimenta videntur, ſed tamen ex lymphâ vel pure, inteſtinorum calore inſpiſſatis & ipſorum cavo adnatis totæ plerumque conſtant.

Secundò peccant *qualitate*, nimirum conſiſtentiâ, colore & odore.

1°. Quidem *conſiſtentiâ*, ſi fæces al-

vinæ, quæ naturâ ſubmolles eſſe debent, obſequioſæ & ductiles, fiant præternaturaliter duræ, glutinoſæ, argillaceæ, liquidæ, ſpumoſæ, pingues, &c.

Duræ & in diſcretos globulos ſeu ſcybala compactæ egeruntur in conſtipatione, defectu potulentorum, vitioſâ, ſtipticâ & terreâ alimentorum qualitate, immodico viſcerum calore quo torrentur, cunctatione nimiâ intra inteſtina unde exareſcunt, penuriâ humorum qui in inteſtina ſolent confluere, & qui tunc aliò advocantur, ſudatione, perſpiratione, mixtioneque prætermodum auctis.

Argillaceæ ſunt, viſcidæ & glutinoſæ, viſcidâ alimentorum qualitate, lactis, v. g. caſei, &c. aut debili fermentorum digeſtivorum energiâ, quâ cibaria, alioquin eupepta, malè atteruntur & ſubiguntur, quod utrumque infantibus lactantibus perquam familiare eſt.

Dilutæ & liquidæ ſunt in diarrhœâ, uſu nimio potûs diluentis; humidâ, aqueâ & putreſcibili cibariorum qualitate, v. g. fructuum horæorum: immodico humorum in inteſtina confluxu, quem chylaceæ vel fæcalis materiæ acrimonia proritat.

Spumoſæ fiunt, ſi cibaria validâ & intensâ fermentatione ſubigantur, quâ aëreæ bullulæ, intra ciborum moleculas ſepultæ, excluduntur & liberæ fiunt: ut in indigeſtione biliosâ, nidorosâ, &c. ſi fæcales materiæ fortioribus & citatis inteſtinorum contractionibus cum flatibus quaſſentur & miſceantur.

Mucoſæ excernuntur: ſi debili fermentorum chylopœorum efficaciâ ex euchymis cibis muci generentur, ſi nimius uſus fiat alimentorum viſcidorum, quæ in mucum facilè degenerent: ut ſunt cremores ex frugibus non fermentatis, panis malè coctus, caſtaneæ, &c. ſi à craſſo viſcidoque ſanguine mucoſa & pituitoſa fermenta, vel fluida ventriculo & inteſtinis infundantur: ſi mucus, quo inteſtina naturaliter obliniuntur, transfluentis fæcis acredine, purgantium draſticorum efficaciâ, validiore inteſtinorum contractione deradatur & exprimatur.

Demum pingues & adipoſæ, hoc eſt, fusâ pinguedine ſuperfuſæ obſervantur: vel quia edulia pinguiora comeduntur, quæ digeſtivorum fermentorum vim eludunt, fuſamque pinguedinem ſuggerunt: vel quia abraſus & colliquatus corporis

deps unà cum inteſtinalibus humori-
us in inteſtina confluit & fæcibus com-
iiſcetur, ut in colliquativis diarrhœis,
uæ febribus hecticis & ſyntexibus ſu-
erveniunt.

2°. *Colore* peccant, ſi fæces alvinæ,
uæ ex naturâ fulvum, ferrugineum, vel
d ſummum ſubflavum colorem habent,
nguineæ, albicantes, cinereæ, cro-
eæ, ſeu admodum flavæ, virides, ni-
ræ ſint.

Sanguineæ ſunt, ex admiſto ſanguine,
t in dyſenteriâ, cujus cauſas ſuprà ex-
oſuimus, ubi de vitiis excretorum in
ibſtantiâ.

Albicantes emittuntur, ſi confuſum
hylum retineant, ut in paſſione cœliacâ,
ujus cauſas proximas ſuprà quoque re-
enſuimus.

Cinereæ ſunt, (*a*) quia chyli partes
onnullæ pertinaciùs hærent, cæteriſque
onfuſæ colorem ex albo cinereum com-
iunicant, ut in paſſione cæliacâ; (*b*) quia
appida fermenta digeſtiva, ut in brady-
epſiâ, ſulphureas cibariorum partes ſa-
s atterere ac dividere non poſſunt, ut
ıbflavum colorem adipiſcantur, quem
ılphurum attritu produci poſſe conſtat

exemplo lactis, quod alkalium miſcelâ flaveſcit; (*c*) quia acida, quæ ciborum aut digeſtionis ipſius vitio prædominantur, ut in indigeſtione acidâ, fæcum ſulphura coagulant, atque inde inaſſuetam albedinem impartiuntur, pari mechaniſmo, quo flava ſulphuris vulgaris tinctura alkalibus factâ affuſione acidorum albeſcit (*d*) quia deeſt bilis, quæ innatâ flavedine fæces intingat, ut in obſtructione, ſcirrho, affectu quocumque graviore hepatis; (*e*) quia bilis pallida & pituitoſa, ut in ſeroſâ conſtitutione ſanguinis, fæces paucâ inficit flavedine.

Croceæ ſive intensè flavæ dejectiones egeruntur; (*a*) ſi valida, nimiaque ſit digeſtiva fermentatio, quâ ciborum ſulphura minutiùs concidantur, ut in indigeſtione biliosâ & nidorosâ: ſiquidem auctâ ſulphurum carminatione flavedinem induci liquet, exemplo lactis ſuprà laudato; (*b*) ſi bilis multa, copioſa, in inteſtina confluat, ut in iracundiâ, aliiſque cauſis bilis ſecretionem ſollicitantibus; (*c*) ſi bilis ipſa intensè flava fuerit, ſimilique colore fæces inficiat, ut in ſalſo-acri ſanguinis diatheſi, aut in febribus incandeſcentibus.

Virides & æruginoſæ fæces excernuntur, (*a*) quia olera viridis coloris comeſta ſunt, ut porra, ſpinachia, pulmentum piſorum viridium, &c. quæ ſi malè digerantur, in virideſcentia liquamina commutantur; (*b*) quia cibaria in ventriculo & inteſtinis, vitio fermentationis digeſtivæ, aciditatem contrahunt, vitriolicæ ferè congenerem: unde viridis & æruginoſus color fæcibus conciliatur, ut manifeſtè arguit odor acidus, quem egeſta latè ſpirant; (*c*) quia bilis ipſa, quæ ab hepate in duodenum confluit, viridis eſt, porracea, æruginoſa, ex peculiari ſanguinis dyſcraſiâ, ideòque colore ſimili fæces inficit.

Denique nigræ fiunt, (*a*) exſiccatione nimiâ, quâ ferè aſſantur, ut in adſtricta alvo: (*b*) uſu chalybis, nucis gallæ, cupularum glandium pulveratarum, quæ fæcibus atrum colorem communicant: (*c*) majore liquaminis chylacei, vel bilis aciditate, quæ ex æruginoſis nigricantia fiunt, & in atram bilem degenerant.

3°. *Odore* peccant, ſi fæces alvinæ, quæ naturâ fœtidum quidem, ſed bilioſum odorem ſpirant, acidum vitioſè re-

doleant, vel fœteant intenſiùs. Acidum quidem vitioſè redolent, (*a*) ab uſu fructuum acidorum, malorum v. g. citrinorum, aut fructuum quorumcumque horæorum, præſertim ſi ſint immatura; (*b*) uſu alimentorum, quæ levi de causâ aceſcant, lactis, v. g., lacticiniorum, bellariorum, &c. (*c*) imminutâ fermentorum chylopœorum energiâ, cujus vitio cibaria, etiam euchyma, aciditatem contrahunt, ut in indigeſtione acidâ.

Fœtent verò intenſiùs, (*a*) ſi pure, quod ab inteſtinis vel adjacentibus partibus ulceratis profluit, inficiantur: (*b*) ſi validiore fermentatione fæcum ſalia, ſulphuraque ita atterantur & concidantur, ut per aërem uberiùs ſparſa, adſtantium nares acriùs inde feriant: quod facili experimento confirmatur, ſiquidem alkalia quævis, fæcum egeſtarum, quibus commiſcentur, fœtorem ut plurimùm augent, ipſarum partes attenuando, ut volatiliores fiant.

Tertiò peccant qualitate, nimirùm auctâ, vel imminutâ: augetur quidem 1°. ſi nimia præceſſerit ingurgitatio, ut poſt pleniores epulas: 2°. ſi cibaria malè concocta egerantur, ferè integra, & fæcum

cum quantitatem augeant, ut in lienteriâ : 3°. ſi chylus, à lacteis venis excluſus, vel abreptus, fæcibus retineatur, quarum copiam amplificet, ut in alvi fluxu quocumque : 4°. ſi humores in inteſtina uberiùs confluant, ut in febribus colliquativis.

Imminuitur verò, 1°. in jejunio, 2°. in exceſſu evacuationum cæterarum quarumcumque, urinæ, v. g., ſudoris, ſalivationis, &c. quæ humores ab inteſtinis retrahunt, & aliò advocant ; 3°. in conſtipatione, quâ, diſcuſſis tenuioribus partibus, fæcum craſſamentum tantummodò, adeòque paucum egeritur.

CAPUT QUINTUM.

De vitiis excretorum per urethram.

URETHRA ſola urina excernitur, in quâ duo conſideranda ſunt, nimirùm fluidum ipſum, quod lotium conſtituit, Græcis chimoſis dictum; & contenta varia, quæ ſecum fluidum illud abripit: quæ ſingula, cùm ſuis ac peculiaribus vitiis peccent, diſtinctis ac peculiaribus articulis examinare conveniens eſt.

ART. I.

De vitiis urinæ.

URINA, ut excreta cætera, tripliciter *peccat*, ſubſtantiâ, qualitate & quantitate.

Primò quidem *ſubſtantiâ* peccat: ſi quæ urinæ loco excernuntur ſint toto genere ab urinâ aliena: 1°. ut ſanguis, ab eroſis, ruptis, diſciſſiſve renum, ureterum, veſicæ, proſtatarum, veſicularum ſeminalium & urethræ vaſis profluens:

ut in mictu ſanguineo, quo purus, ſinceruſque cruor mingitur: 2°. ut pus ab abſceſſu, ulcereve renum, veſicæ, proſtatarum, veſicularum ſeminalium, partiumve juxta adſitarum promanans, quod pleno alveo urethra emittitur, donec abſceſſus exhauſtus fuerit.

Secundò peccat urina *qualitate* multiplici, nimirum 1°. calore: 2°. conſiſtentiâ: 3°. colore: 4°. odore: 5°. acredine.

1°. Calore: ſi urinæ, quæ nullum debent in naturali ſenſu caloris ſenſum excitare, inter mingendum, calidiores perſentiantur; quod debetur (*a*) ſanguinis fervori à quo abſcedunt, ut in incandeſcentiis febrilibus; (*b*) inflammationi veſicæ, vel partium veſicæ adjacentium, recti, v. g., uteri, proſtatarum & veſicularum ſeminalium in gonorrhœâ virulentâ; (*c*) nimio ſanguinis in veſicam confluxui, qui à vicinis partibus, utero, v. g., in graviditate excluſus, in veſicam per collaterales ramos derivatur, nimiumque fervorem concluſo lotio communicat.

2°. Conſiſtentiâ peccat; ſi urina, cui certa competit conſiſtentiæ ratio, tenuior fiat, vel craſſior, vel pinguis &

quaſi oleacea : tenuior eſt, (*a*) ex potu nimio aquæ, vel vini oligophori, unde phlegma uberius renibus ſubminiſtratur; (*b*) ab obſtructione renum & ureterum à calculoſis concretionibus, quæ nihil craſſi elabi ſinunt, ut in doloris nephritici vehementiâ; (*c*) ex coagulatione ſanguinis, qui ex conſtrictis ſulphuribus phlegmaticas tantùm partes exprimit.

Craſſior contrà fit, (*a*) ſi laxior renum compages, non tantùm urinoſas, ſed lymphaticas, fibroſaſque plurimas ſanguinis partes admiſerit; unde urinæ lymphaticæ & pituitoſæ, id eſt, *glaireuſes* : (*b*) ſi ſanguis pathematibus, febre, remediis ita agitetur & diſſolvatur, ut attritæ fibroſæ & lymphaticæ partes cum urinoſis promiſcuè ſecernantur : unde urinæ turbidæ, & urinis jumentorum ſimiles; (*c*) ſi urinæ purulentas particulas à renum aut veſicæ ulcere abradant, unde purulentæ & craſſæ evadant.

Pinguis demum & oleacea emittitur in ſummo motu & in magnis exercitiis, furente præſertim Syrio, unde ſupernatat cruſta oleoſa, vel in ſummis colliquationibus, cùm ramenta adipis, adipoſarumque partium, ſanguine aut lymphâ

circulantibus decerpta & abraſa cum lotio commiſcentur, quod craſſius pinguiuſque reddunt & amurcæ haud abſimile.

3°. *Colore* peccat urina : ſi à citrinò colore, quem in ſanis præferre ſolet, quomodocumque deflectat, defectu vel exceſſu.

Defectu quidem, ſi (*a*) alba, tenuis & pellucida inſtar aquæ : (*b*) alba, craſſa & limpida : (*c*) alba, opaca & lactea : (*d*) ſpicea & palearis ſit ; exceſſu verò ; ſi (*e*) aurea, crocea & ſaturate flava : (*f*) rubra, flammea, vinoſa, praſſea : (*g*) viridis, cærulea, nigra egeratur.

Urina alba, tenuis, pellucida, ac verè aquea eſt (*a*) potatione nimiâ aquæ, aut vini oligophori : (*b*) coagulatione ſanguinis limpidius ſerum exprimentis : (*c*) renum aut ureterum infarctu quo tenuior tantùm urina percolatur, quæ fuſiùs ſuprà explicata ſunt, ubi de urinâ tenui.

Alba, craſſa, ſed limpida eſt inſtar cornu, quæ glauca ſeu charopa appellatur : ſi mucoſa pituita, ſeu fibroſa quædam ſanguinis portio urinoſo fluido

ita permixta ſit, ut, illæſâ pelluciditate, ejuſdem conſiſtentiam augeat tantummodò: talis mictionis cauſæ ſuprà recenſitæ ſunt, ubi de craſsâ urinâ.

Alba, opaca & verè lactea urina emittitur, (*a*) ſi chyloſis guttulis unà admixtis: (*b*) ſi tartareis, aut calculoſis concretionibus innatantibus; (*c*) ſi lymphæ aut pituitæ floccis attritis, ſed malè confuſis; (*d*) ſi puris guttulis diſſolutis commixtis gravis ſit.

Subſpicea, pallida, & palearis coloris obſervatur: (*a*) ſi, quamquam copioſa, parciore tamen, quàm in allatis caſibus, phlegmatis copiâ diluatur; (*b*) ſi ſulphureæ & ſalinæ ſanguinis partes, debili quidem, ſed majori tamen activitate atterantur & dividantur, quàm in præcedentibus caſibus: unde liquet pallidam urinam, inter aqueam & citrinam ſive naturalem, quaſi mediam eſſe.

Saturate flaveſcit, nimiâ bilioſarum partium miſcelâ, qualis eſt in inflammatione, ſchirro, obſtructionibus jecinoris, aut uſu medicaminum flavo colore tingentium, ut eſt rhabarbarum, crocus orientalis, &c. aut cum phlegmatis proportio ad ſalinas ſulphureaſque urinæ

partes minor eſt : quod bifariam accidit, (*a*) defectu ſeri, ex parciore potu aqueo : ex uſu nimio liquorum ardentium, aut meri : ex intensâ ſanguinis agitatione, quâ diſſipatur : ex ſudatione, aut perſpiratione auctâ : ex confluxu in partem quamdam, ut in hydrope, unde alio advocatur ; (*b*) exceſſu partium ſalinarum & ſulphurearum, qualis contingit, ſi ſanguinis partes magis atterantur, minutiùſve concidantur, febre, vigiliis, exercitiis, pathematibus vehementioribus, remediis aperientibus, incidentibus, diureticis calidioribus, &c. Ad urinam quâ ſaturate flavam pertinent aurea & crocea, quæ à ſaturate flavâ, ſolâ intenſione diſcrepant.

Rubra apparet : ſi obſcuriùs, intenſiùſque flaveſcat, ut liquet experimento facili : ſi enim linteum in urinam rubram immergas, non rubrum, ſed flavum colorem referet, perinde ac epoto rhabarbaro ; hinc urina rubra fit, ſi copioſior, craſſiorque bilis admiſceatur ; ſi medicamina, flavum colorem urinæ conciliantia, diutiùs uſurpentur ; aut ſi phlegmatis urinoſi ad cæteras urinæ partes proportio decreſcat, ſive immi-

nutâ phlegmatis, ſive auctâ cæterarum partium quantitate à cauſis modò dictis, ſed intenſioribus. Debent ad urinas rubras referri ardens & flammea, vinea ſeu nigro vino ſimilis, & paſſa vinea obſcurior & cocto vino ferè concolor, quæ diverſæ ſunt urinarum rubrarum intenſiones.

Cruenta urina, quæ recentis carnis loturam refert, rubro quidem colore, ſed à rubrâ, qualem modò deſcripſimus, ideò differt, quod cùm planè refrixerit, quaſi grumum concreti ſanguinis deponat: ea fit (*a*) ruptis, aut eroſis renum vaſis, calculi pondere, ſcabritie, &c.: unde mox ſanguis emanat, qui lotio intimè commiſcetur: (*b*) extenuatis ſanguinis partibus globuloſo-purpureis, quæ, per ſecretorios renum poros, unà cum lotio traductæ, ſanguinolentum colorem inferunt, ut in ſummis cruoris diſſolutionibus, quæ febribus malignis, aut continuis ſuccedunt.

Tandem urina nigreſcit, (*a*) ſi bilis ſpiſſior, craſſior, fæculentior, & ex rubro-atra permiſceatur, ut in ictero nigro, ſcirrho hepatis inveterato, febribus quartanis contumacibus, quæ variis

obſtructionibus ſtipantur ; (*b*) ſi nigricans medicamentum aſſumptum ſit, cujus partes lotio confundantur, caſſiæ dilutum, v. g., à quo urina nigro colore tingitur; (*c*) ſi extravaſati & nigricantis ſanguinis particulæ, è ſanguine vel lymphâ abraſæ & decerptæ, in ecchymomate, urinæ commiſceantur : unde plumbea, livida & ſubnigra apparet ex plagis & verberibus ; (*b*) ſi fuerit nimia ſalinarum, ſulphurearum, terrearumque partium redundantia præ phlegmate quo diluuntur, undè intensè rubra urina videtur nigreſcere, ſicut jam ſuprà intenſiùs flavam rubere docuimus. Nigris urinis meritò junguntur urinæ ex atro virides, & ex atro cæruleæ : illæ bili æruginoſæ & praſinæ in ictero viridi, iſtæ ſanguini nigriori ab ecchymomatibus decerpto peculiarem debent coloris formam, quâ à nigris diſtinguantur.

Cætera, quæ de vitioſis urinæ coloribus dicta ſunt, mirè illuſtrantur *experimento Belliniano*, quo compertum eſt urinam citrinam & à ſano emiſſam, leni phlegmatis exhalatione, ignis calore, auream, croceam, ſaturate flavam, flammeam, rubram, vineam,

paſſam, cæruleam, nigram ſucceſſivè fieri ex imminutâ ſeri proportione ad ſalinas, ſulphureas, terreaſque partes : contrario verò progreſſu à nigro colore, ad pallidum & aqueum ſucceſſivè deduci, ſerum diſſipatum ſenſim reſtituendo, adeòque phlegmatis ad cætera principia proportionem augendo.

4°. *Odore* peccat urina : ſi loco levis & ſubacris odoris, quem ſana ſpirat, ſuavem aut violaceum ſpargat ; aut tetrum & graveolentem admodum. Debetur ſuavis & quaſi violaceus urinarum odor, balſamorum partibus, quæ urinis confuſæ & dilutæ gratum odorem referunt, quia tenuiùs ſubactæ nares leniùs demulcent ; ſic terebinthina Veneta, balſamaque quævis terebinthinacei generis urinas ſuaveolentes efficiunt.

Contrà verò, fœtidus & graveolens urinarum odor adſcribendus eſt (*a*) nimiæ ſalinarum & ſulphurearum partium præſentiæ, qualis à colliquativâ febre, vel diureticorum calidorum uſu inducitur ; (*b*) purulentis partibus, quæ ab internis abſceſſibus excerptæ, vel ab ulcere renum aut veſicæ manantes cum urinâ confunduntur ; (*c*) ſemiputrefactis

olerum dyſpeptorum moleculis, quæ per urinas foràs everruntur, tetramque mephitim exhalant ut poſt comeſtos aſparagos obſervare eſt.

5°. *Acredine* peccat urina; ſi loco blandæ titillationis, quam proritare ſolet dum mingitur, urinarias vias dolorificè rodat: ut (*a*) ſi calidior ſit ex cauſis antedictis; (*b*) ſi puris guttulas ſecum everrat; (*c*) ſi craſſioribus ſalium moleculis fœta ſit defectu ſufficientis phlegmatis quo diluantur; (*d*) demum ſi tartareas, calculoſaſque concretiones convehat, quæ mole, ſcabritie, angulis urethram abradant præterfluendo.

Tertiò peccat urina *quantitate*, excedente nimirum vel deficiente.

Excedente quidem: 1°. ſi nimia præceſſerit potatio aquæ vel vini oligophori: 2°. ſi ſudatio aut perſpiratio frigore externo vel balneo coerceantur: 3°. ſi coagulatio, aut diſſolutio, ſanguinis ſerum copioſiùs in libertatem vindicent: 4°. ſi uriniferi renum tubuli, motu ſyſtaltico frequentiùs concitati, lotium promptiùs, uberiùſque ſecernant, ut in profluvio diabetico.

Deficiente verò, cauſis contrariis,

1°. ſi potus parcior ſit : 2°. ſi ſerum ſanguinis diſſipetur, ſudore, perſpiratione, ptyaliſmo, diarrhœâ, &c.; 3°. ſi aliò confluat, ut in hydrope; 4°. ſi ab obſtructis, conſtrictiſve tubulis renum ſecretoriis excludatur, ut in iſchuriâ nothâ, &c.

ART. II.

De vitiis contentorum in urinâ.

DOCUIMUS in Phyſiologiâ craſſas perplures partes, lymphaticas, fibroſaſque urinâ contineri naturaliter, quæ, ubi primum lotium refrixerit, in floccos denſiùs conglobatæ, vel ima petunt, & hypoſtaſim ſive ſedimentum : vel in medio ſuſpenduntur, & enæorema, ſive ſuſpenſum : vel ad ſummum efferuntur, & nubeculam conſtituunt; ima quidem petunt, ſi craſſiores ſint, & nullius aëris participes : medium verò, vel ſummum tenent, ſi leviores ſint, vel flatibus interſperſis turgeant.

Tria hæc *urinæ contenta* naturalem ſtatum ſervant, ſi alba, lævia, æqualia, & ſubſtantiæ mediocris fuerint; cæteris tamen hypoſtaſis præſtare cenſetur;

quatenus intimiorem & æquabiliorem partium fibroſarum trituram, ſeu, ut vulgò loquuntur, coctionem denotat. Cæteroquin ſolent ex æquo ferè à naturâ deſciſcere trifariam, nimirum ſubſtantiâ, qualitate & quantitate.

Primò, peccant ſubſtantiâ, ſi rebus componantur alienis, & quæ ſint toto genere præternaturam: ſic, v. g. hypoſtaſis & enæorema ſubſtantiâ peccant, ſi conſtiterint, 1°. ſanguine, qui eruptis, aut eroſis renum vel veſicæ vaſis erumpat; 2°. pure, quod ab earumdem partium abſceſſu vel ulcere effluat, 3°. arenulis rubris, flavis, griſeis, &c. ſabulove multiplici, quæ, ex ſalino-tartareis partibus, intra fiſtulas urinoſas, vel pelvis infundibula concreverint, unde præfluente urinâ everrantur; 4°. craſſiore pituitâ, ſeu rectiùs, mucosâ lymphâ, quæ, per dilatata renum incernicula, cum lotio tranſcoletur: vel à veſicæ ſuperficie, calculi præſentiâ, deradatur, aut iteratis, validiſque conſtrictionibus, quas ulcus proritat, exprimatur; 5°. pilis, ſeu melius, filamentis tenuibus, elaſticis, plicatilibus, quæ lymphâ craſſiore, intra fiſtulas renum urini-

ſeras, quaſi intra typos totidem indurata, ut in iis qui nephritico inſultu ſæpiùs infeſtantur: vel ſemine viſcoſiore, per ſtricta proſtatarum oſcula in fila coaleſcunt, ut ſub finem ſimplicis vel virulentæ gonorrhœæ; 6°. membranulis, vel carunculis mollibus & diſtractilibus; illas lympha, vel pus pelvium vel ureterum cavo agglutinata: has verò lympha, in durius callum coagulata, aut pus ſimile, efformant, in diuturnis & fiſtuloſis renum ulceribus: quemadmodum excretiones compares dyſentericis familiares eſſe alibi obſervavimus; quamquam tamen membranas & carunculas haſce, ab eroſis, laceratiſque renum tunicis & papillis, puris acrimoniâ deradi quandoque poſſe minimè dubitemus; 7°. levioribus, minutioribuſque concretionibus purulentis, vel lymphaticis, intra renes immodico fervore conformatis, quæ modò farinæ craſſioris grana, ut in ſimilagineâ ſive crimnode: modò ſquammulas, ut in ſquammoſâ ſive pelatode: modò demum furfura referunt, ut in furfuraceâ urinâ, ſive pityrode. Nubecula peccat ſimiliter tota ſubſtantia, ſi pinguedo, telis

aranearum ſimilis, vel divulſa quaſi olei puncta; urinæ per ſumma innatent: ut accidit dum corporis adeps febre ardente, phthiſi vel febre hecticâ liqueſcit, & liquefacta lotio foràs convehitur.

Secundò peccant contenta in urinis *qualitate* multiplici, nimirum 1°. aſperitate: ſi ſuperficie inæqualia, aut in diſcretos floccos divulſa ſint, quod inæqualem materiæ ſubactionem arguit; 2°. conſiſtentiâ: ſi tenuia aut craſſa ſint prætermodum; 3°. colore, ſi ſpicea, pallida, crocea, rubra, livida, nigra ſint; 4°. odore: ſi ſuaviter oleant, fœteantve teterrimè, quæ ſingula contentorum vitia, ſimilibus urinarum vitiis reſpondent, & à ſimilibus cauſis inducuntur.

Tertiò peccant denique *quantitate*: ſi nimium aucta, vel imminuta ſint; augentur quidem iis omnibus quæ ſalino-tartarearum vel lymphaticarum partium copiam augent in lotio, ut 1°. ingurgitatio; 2°. vitæ ratio deſes, otioſa, ſedentaria, ſomnolenta; 3°. intenſior ſanguinis circulatio à febre ſynocho, ſive continuâ, aut diſſolutio ab hecticâ, colliquativâ, deferveſcente tamen febrili

erethiſmo ; 4°. uſus nimius aperientium & diureticorum calidorum ; 5°. renum laxitas, connata & hæreditaria, vel adventitia & à prægreſſis urinæ craſſioris ſecretionibus inducta.

Imminuuntur verò cauſis contrariis, quæ fibroſis aut ſalino-tartareis partibus renes defraudant : ut 1°. inedia ; 2°. vitæ ratio laborioſa & exercita, ſed extra modum ; 3°. ignavior ſanguinis motus, vel inducta coagulatio ; 4°. abuſus remediorum refrigerantium, ut ſunt, exempli gratiâ, diuretica frigida ; 5°. demum, renum conſtrictio naturalis vel ex accidente inducta.

CAPUT SEXTUM.

De vitiis excretorum per vaginam.

SANGUIS ruber, calens, fluxilis, penetrans, cæteroque cruori, qui vaſis ineſt, ſimillimus, ex utero per vaginam emitti ſolet in puberibus, ſtatis menſtruiſque periodis: emiſſique quantitas, in ſtatu naturali, octo vel decem uncias plerumque æquat, quatuordecim vel ſexdecim raro ſuperat; *talis excretio*, quæ à duodecimo vel quindecimo ætatis anno ad quadrageſimum quintum vel quinquageſimum perdurat, tripliciter in ſummâ *vitiatur*, ſubſtantiâ, qualitate & quantitate.

Primò, *vitiatur ſubſtantiâ*: ſi ſanguinis loco humores, qui toto genere alieni ſint, egerantur, v. g. 1°. pus, ut in abſceſſu, aut ulcere, quæ fundum, latera, vel cervicem uteri occupant; 2°. ſerum lymphaticum, vel ſublacteum, & albicans, ut in fluore albo ſive muliebri, cujus cauſas ſuprà retulimus, ubi de depravatâ menſtruatione; 3°. ſerum ſive

flatus, ut in hydrope uteri aquoſo ſive flatulento; cum aquæ vel flatus collecti reſerato uteri oſculo profunduntur.

Secundò, vitiatur *qualitate* multifariam, 1°. acredine: ſi ſanguis effluens, acer & mordax, muliebria erodat, ut in acri aut ſalſa-acri diatheſi; 2°. calore: ſi ſanguis, qui ab utero manat, fervore nimio moleſtus fuerit, ut dum ab inflammato utero profluit, aut à ſanguinis maſsâ febrili orgaſmo, vel intenſiore fermentatione exæſtuante; 3°. conſiſtentiâ: ſi ſanguis tenuior induſia linteaque intimè penetret: aut ſi craſſior, glutinis inſtar, induſiis, linteiſque adhæreſcat; utraque emiſſi ſanguinis conſtitutio ſimilem maſſæ ſanguineæ conſtitutionem ſequitur; 4°. colore: ſi ſanguis profluens intensè rutilet & purpureus ſit, ob adauctam maſſæ ſanguineæ attritionem, ab excandeſcentiâ febrili, vel fermentatione validiore: ſi nigricans fuerit, ob exſuccam, craſſam, viſcidamque cruoris diatheſim, quâ ſubater color conciliatur: ſi flavus, ex bile intra maſſam ſanguinis retentâ: denique ſi pallidus, ſubalbus & decolor, ut ex ſeroſâ & pituitoſâ ſanguinis temperie, aut ex miſcelâ humoris

ſymphatici, lacteive, qui menſtruo ſanguini in utero confunditur, ut in fluore albo; 5°. odore: ſi catamenia graviter oleant: quod debetur, vel admixto puri, vel confuſæ lymphæ ſemiputridæ, quæ ab utero extillat, vel moræ quam in utero diutius trahunt, & quâ computreſcunt.

Tertiò, quantitate vitiatur, aucta vel imminuta: auctæ verò vel imminutæ catameniorum copiæ, cauſas vide ſuprà ubi de læsâ menſtruatione.

SECTIO TERTIA.

De qualitatibus mutatis.

MUTATÆ corporis qualitates, ſeu ſimplices affectiones, cum ſenſibus ferè obviæ manifeſtæque ſint, pro ſenſuum quibus percipiuntur numero, in quinque ordines rediguntur : quocirca quinque futura ſunt hujus poſtremæ Sectionis capita, quorum primum aget de qualitatibus mutatis, quæ tactu : ſecundum, quæ viſu : tertium, quæ olfactu : quartum, quæ guſtu : quintum denique quæ auditu percipiuntur.

CAPUT PRIMUM.

De qualitatibus mutatis quæ tactu percipiuntur.

QUALITATES *tactiles* multæ ſunt, ut calor & frigus, humiditas & ſiccitas, mollities & durities, ſive rigiditas, &c. quæ *vitiantur*, ſi connaturalem modum exceſſerint immoderatiùs.

Primò, *calor* vehemens eſt, acer & mordax, vel in toto corpore, vel in parte ſpeciali: in toto quidem corpore, 1°. ſi intenſior ſit motus ſanguinis, à quo partes calent, ut in febricitantibus, bilioſis, &c. 2°. Si citatior ſit circulatio, ſanguiſque calens à corde in partes promptiùs propellatur, ut in iis qui currunt, ſaltant, aut laborioſiùs exercentur; in parte verò ſpeciali, ſi ſanguis in ſemetipſum motus, fermentationem quandam concipiat, adeòque intensè calens, ibidem hæreat & retineatur, ut, v. g., in phlegmone, eryſipelate, &c.

Secundò, *frigus* pari modo nimium eſt & moleſtum, vel in univerſo cor-

pore, vel in parte quapiam particulari; in univerſo quidem corpore, 1°. ſi ſanguis ſeroſior ſit, craſſior, fibroſior, adeòque ignaviùs in ſe moveatur, partibuſque actuoſis minùs donetur, ut in pituitoſis, ſenibus, &c.; 2°. ſi præter-naturam inſpiſſatus, & coagulatus, à connaturali motu plurimùm ceſſet, ut in frigore quod febriles paroxyſmos ſolet antecedere; 3°. ſi tarda ſit circulatio, adeòque ſanguis calens à corde partibus paucus infundatur, ut in leipothymiâ & ſyncope. In parte verò particulari: ſi illa ſanguinem parciùs admittat, vel propter tumorem ſcirrhoſum, aut œdematoſum quo afficitur, vel propter paralyſim quâ laborat.

Tertiò, immodica humiditas, quâ partes humidæ nimis madent, vel univerſalis eſt, vel particularis: univerſalis debetur 1°. redundantiæ ſeri, vel veræ, vel apparenti, ut in intemperie pituitoſâ, cachexiâ, ſanguinis deliquio: 2°. ſtagnationi lymphæ ſeroſioris intra corporis habitum, ut in leucophlegmatiâ, vel anaſarcâ: 3°. laxitati ſtaminum ſimilarium, quæ præterlabente ſero faciliùs imbuuntur: hæc autem ſtaminum laxitas

vel congenita eſt, vel adventitia, & ab imminuto ſpirituum fluxu inducta, ut in paralyticis, veternoſis, &c. Particularis humiditas iiſdem cauſis infertur, ſed peculiarem partem ſpecialiùs infeſtantibus.

Quartò, ſimiliter *ſiccitas*, quâ partes nimium exareſcunt, in univerſalem & particularem diſtinguitur. Univerſalis fit, 1°. ſiccâ ſanguinis diatheſi, ut in intemperie ſiccâ: 2°. fervore nimio maſſæ ſanguineæ, quo partes exſiccantur, ut in febre: 3°. emaciatione, quâ ſtamina intimiùs compacta ſeri appulſum reſpuunt, ut in maraſmo, conſumptione, &c. Particularis ſiccitas cauſis ſimilibus, ſed ſpeciali parti propriis, producitur.

Quintò, *mollities*, quâ partes vel levi preſſui faciliùs cedunt, accepta referenda eſt, 1°. ſeri præſentiæ, unde partium ſtamina relaxantur, ut in humiditate: 2°. imminuto ſpirituum fluxui, unde tenſionis expertia flacceſcunt; ut in caro, veterno, lethargo, paralyſi, &c. 3°. ſuppreſſo ſanguinis appulſui, unde defectu turgeſcentiæ collabuntur, ut in ſyncope. Cauſæ recenſitæ, ſi toti corpori communes, univerſalem: ſi

parti peculiari propriæ fuerint, particularem mollitiem inferunt.

Sextò denique, *partium durities ſeu rigiditas*, quâ preſſioni renituntur, repetenda eſt, 1°. à nimiâ ſiccitate, quâ indurantur, ut in ſicciore temperamento; 2°. ab uberiore & concitatiore ſpirituum fluxu, quo tenduntur & rigeſcunt, ut in ſpaſmo; 3°. ab humore quocumque intra partis contextum inſpiſſato, ut in ſcirrho; 4°. ab humore intra definitam cavitatem collecto, quam validiùs diſtendit, ut in aſcite, tympanite, hydrocele, &c. 5°. à ſanguine hærente & influente, ut in phlegmone. Quod de cæteris qualitatibus diximus, idem & de duritie dictum volumus, nimirum univerſalem aut particularem eſſe, prout ab univerſalibus, vel particularibus cauſis inducitur.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

De mutatis qualitatibus quæ viſu diſcernuntur.

ASPECTABILIS ſolùm eſt *cutis color*, qui, ſi roſeus, carneuſve fuerit, ſeu ex albo ruber, naturalis eſt: ſin verò variè deflexerit, totupliciter *vitiatur*, ut ſi pallidus, intensè ruber, flavus, viridis, niger, petechiis rubris, violaceis, ſubatris varius, lividus, plumbeus aut nigricans ſit.

Primò, cutis color *pallidus* eſt 1°. defectu, vel penuriâ ſanguinis, cui partium naturalis rubor debetur, ut poſt hæmorrhagiam immodicam, vel morbum graviorem: 2°. minore partis globuloſo-purpureæ ad fibroſas, lymphaticaſque ſanguinis proportione, ut in pituitoſo temperamento & chloroſi: 3°. coagulatione & inſpiſſatione cruoris, unde globuloſo-purpureæ partes, ſtrictiùs denſatæ, pauciores radios reflectunt, ut initio inſultuum febrilium; 4°. parciore ſanguinis appulſu, vel in omnes, ut in

ſyncope, vel in aliquas corporis partes, faciem, v. g., ut in plurimis animi pathematibus quibus vultus pallet.

Secundò, color cutis intensè *ruber* eſt, 1°. quia ſanguis multus, & copioſus vaſis ineſt, ut in plethorâ : 2°. quia partes globuloſo-purpureæ abundant, ut in ſanguineo temperamento : 3°. quia partes illæ, tenuiùs ſubactæ & attritæ, radios plures reflectunt, ut in intenſiore motu : 4°. quia ſanguis celeriùs, validiùſque circulatur, ut in exercitiis nimis concitatis, & vehementioribus animi pathematibus : 5°. quia ſanguis in facie uberiùs retinetur, ſive propter pulmonum infarctum, ſive propter preſſionem, quam iterata & reciproca ſcaleni muſculi contractio jugularibus infert, ut in tuſſiculoſis, hecticis, phthiſicis, peripneumonicis, &c.; 6°. quia ſanguis in facie hæret, ſyſtalticâ ſtaminum, quibus componitur, conſtrictione, ut in illis pathematibus, quibus vultus repentino rubore ſuffunditur : 7°. demum, quia ſanguis in facie ſtagnat, vel ob varicoſam vaſorum cutaneorum dilatationem : vel ob repagula varia cutis contextui impacta, ut in guttâ roſaceâ.

Tertiò, color cutis *flavus*, *viridis*, *niger* eſt, cùm bilis flava, viridis, æruginoſa, vel atra, hepatis ſcirrho vel obſtructione à ſecretione prohibita, intra ſanguinem retinetur, ac humorem mucoſum, qui cuticulæ ſuppoſitus eſt, & quocum confunditur, ſimili colore inficit, ut in ictero flavo, viridi, æruginoſo, nigro, &c.

Quartò, cutis *interſperſis punctis*, *maculis*, *petechiis*, *vibicibus rubris*, *violaceis*, *nigricantibus variatur*; ſi purpurei ſanguinis globuli, intensâ ac diutinâ fermentatione tenuiſſimè comminuti, cum mucoſo eodem humore, cui commiſcentur, guttatim ſubter cuticulam irrepant, quam variis ecchymomatibus, aut exanthematibus interſtingunt, ut in febre malignâ, ardente, ſynocho frequens eſt; ruber autem, violaceus, nigerque petechiarum & vibicum color, vel à diversâ ſanguinis diatheſi dependet, vel à diversâ commixti ſanguinis quantitate, quâ color dilutior aut obſcurior apparet; fiunt enim rubræ efflorescentiæ ſupra cutim à ſanguine hærente, ob tumefactas, inflataſve glandulas miliares, ut in pſora, ſive eſſere Arabum, vulgò

porcelaine : ſed iſtæ à præcedentibus differunt in eo quòd extuberent ſupra cutis ſuperficiem : illæ verò cutim ſenſibiliter non attollant : inde fit ut pſora ſive eſſere, non ad qualitatem ſimpliciter mutatam, ſed ad tumores, adeòque ad morbos organicos referatur.

Quintò, color cutis *lividus*, *plumbeus & nigreſcens* eſt, 1°. ſi ſanguis grumoſus & inſpiſſatus ex contuſis vaſis ſuffuſus fuerit, ut in ecchymomatibus & ſuggillationibus, quæ, dum reſolvuntur, varios iridis colores, nempe cæruleum, fuſcum, & flavum ſucceſſivè referunt, prout ſanguis extravaſatus ſenſim dividitur : 2°. ſi pars maleſana ſubatro, ſeu ut veriùs dicam, ſemiputri ſanguine turgida ſit, ut in elephantiaſi, in quâ tumores multi, nigri, inæquales, indolentes, diſcreti, univerſum corporis habitum occupant.

Cæterùm, mutatis cutis coloribus, vitioſus quoque linguæ color meritò adjungendus, quem tanquam interni fervoris & incendii indicem, accuratè explorare Medicis ſolemne eſt. Pendet autem color linguæ, 1°. ab ipſo ſanguinis, per linguam circulantis, colore;

unde lingua rubra eſt, ſi ſanguis intensè purpureus; flava, ſi flavus: nigra demum, ſi craſſus & ſubniger ſit: 2°. à diverſo colore cruſtæ pinguis & limoſæ, quâ lingua in jejuniis oblinitur: ea autem cruſta, cùm à cellulis tunicæ linguam extus veſtientis exſudet, & lymphatica ſit, ex ſe alba eſt: verùm ſi calore uratur, flaveſcit, quin imo nigreſcit, ſi fervore nimio torrefiat, ut in febricitantibus obſervare quotidianum eſt.

CAPUT TERTIUM.

De qualitatibus mutatis quæ olfactu deprehenduntur.

OLFACTU percipitur *odor* varius, *qui à corpore exhalat*; in proſperâ quidem valetudine nullus eſt vel hebes: imò in quibuſdam haud inſuavis, ut de ſudore Alexandri Magni & Cujacii celebris Juriſconſulti narrant; quod ſummæ adſcribendum eſt tenuitati & attritioni partium ſudoris, quæ nares leni & grato modo afficerent: at ſi inde deſciſcat, *vitioſus fit*: ut cùm teter, fœtidus, graveolens odor afflatur, exſpiratione, vel tranſpiratione.

Exſpiratione quidem afflatur teter halitus, ſi olfactus putrida & fœtentia miaſmata evehat è naribus, ore, pulmonibus, ventriculo, &c.

1°. E naribus: ſi ulcus ſordidum & cacoethe in interiore naſo latitet, ut in ozænâ: aut ſi narium mucus, vitioſâ oſſium triangularium depreſſione, diutiùs retentus, intra ſinus, cellulaſve, quibus

concluditur, putrefiat, ut in ſimis.

2°. Ex ore, faucibuſque: ſi cibariorum fruſtula, inter mandendum, dentibus carioſis vel malè junctis hæreant, & computreſcant; ſi pituitoſa materia, quæ in tonſillis aut uvulæ glandulis ſecernitur, putrefiat: ſi ulcus malignum fauces & uvulam depaſcatur, ut in ſyphiliticis: aut ſi lymphatica cruſta, quæ linguam, cæteraſque oris partes obducit, non abſterſa, & calore acrior facta, gravem odorem ſpiret ut in jejunantibus, quibus ſpiritus jejunio macer eſt.

3°. E pulmonibus: ſi latentibus ulcuſculis contabeſcant, aut ſputis purulentis referti ſint, ut in tabidis, phthiſiciſque.

4°. Ex ventriculo: ſi ulceratio aliqua intus latuerit: ſi prava ſit cibariorum concoctio, acida, bilioſa, nidoroſa, &c. unde vapores, halituſve taciti, vel ſonori ut ructus, emittantur.

Tranſpiratione verò gravis odor exhalat, ex variis locis, toto nempe corporis habitu, alis, plantiſque pedum, aliiſque partibus ſpecialibus.

1°. Ex toto habitu: ſi ſudor fœtidus & graveolens fuerit, quâ de re conſulantur, quæ ſuprà dicta ſunt de vitiis ſudoris.

2°. Ex axillis : ſi emunctoria, ſeu meliùs, glandulæ cutaneæ in axillis ſitæ, quæ humorem ſubflavum & ſubacrem naturaliter ſecernunt, laxiores & patentiores ſint : adeòque craſſiorem ac putridulum ſuccum tranſcolent, ut in rufis : aut ſi axillæ denſis & confertis pilis hirtæ & villoſæ exſudantem humorem retineant, donec computreſcat, ut in iis quibus

Gravis hirſutis cubat hircus in alis :

ut ait HORATIUS.

3°. E plantis pedum : ſi laxior cutis contextus uberiori ſudationi locum præbeat, quæ calore partis fœtorem contrahat, ut in iis qui æſtivo tempore multùm incedunt.

4°. Ex variis aliis partibus, ſi ulceroſæ, cancroſæ, fiſtuloſæ, &c. ſint.

Cæterùm, ut tetri, fœtidique odores, qui à corpore exſpirant, partium vitio, ſanguiniſque dyſcraſiâ producuntur : ſic ſpurcitie & immunditiâ plurimùm intendi certum eſt.

CAPUT QUARTUM.

De mutatis qualitatibus quæ guſtu dignoſcuntur.

GUSTUS de vitioſis corporis ſaporibus judicat : quales ſunt ſapores ingrati, qui linguam & palatum quandoque afficiunt, & quos ægrotantes experiuntur ipſimet ; hi debentur cauſæ variæ & multiplici : 1o. nempe vitio ſalivæ, quæ, ut dictum eſt ubi de læsâ fame, bifariam alteratur, miſcelâ ſcilicet partium heterogenearum, bilis, v. g. urinæ, &c. ſi intra ſanguinem infarctu vel obſtructione jecoris aut renum retineantur : & præternaturali ſalinarum vel ſulphurearum partium prædominio, unde corruptela multigena.

2°. Vitio ſputorum, quæ à pulmonibus exſcreantur, à tabidis, phthiſicis, peripneumonicis, pleuriticis, catharroſis, &c. quæ dulcem, acrem, ſalſum, purulentum ſaporem variè referunt.

3°. Vitio materiæ acris, acidæ, bilioſæ, amaricantis, dulcis, chylaceæ,

ſtercoraceæ, &c. quæ à ventriculo vomitu rejicitur in cholerâ aut Iliaco affectu: vel vitio halituum congenerum, qui è ſaburrâ in ventriculo hoſpitante ructu emittuntur,

---

CAPUT ULTIMUM.

De mutatis qualitatibus quæ auditu diſcernuntur.

AUDITUS ſonos percipit vitioſos & inaſſuetos, qui in maleſano corpore, multi, variique interdum excitantur.

Sic 1°. ſi particularia cavitatis cujuſdam, vel univerſalia corporis tegumenta, collecto, concluſoque humore, aut aëre diſtendantur, pulſata tympani inſtar reſonant, ut in tympanite, pneumatocele, aſcite, emphyſemate, &c.

2°. Si dentes, convulſivâ maxillæ inferioris motitatione invicem iteratâ alliſi, acuto ſono crepitent, ſtridantque, ut in rigore febrili.

3°. Si aëreæ bullulæ, cibariis interclusæ, validiore fermentatione, ut in

bilioſâ & nidoroſâ digeſtione, extricatæ, aut ab acidâ indigeſtione rejectæ & excluſæ, flatus in ventriculo & inteſtinis conſtituant, qui per inteſtina multifariam volutati, & obvio liquamini variè commixti, murmura ſive borborygmos edant, donec ructu pedituve excludantur.

FINIS.

54 28.